

CARTESIUS VERUS  
SPINOZISMI  
ARCHITECTUS.

S I V E

Uberior Assertio & Vindicatio Tractatus,  
cui titulus *Cartesius Spinozæ prælucens*,  
antehac vernaculo sermone editi; quibus  
quam clarissime nec non certissime de-  
monstratur, in Cartesio reperiri primaria  
fundamenta Spinozismi.

A U C T O R E  
JOHANNE RÈGIO,  
Med. & Philos. Doctore, hujusque  
Professore.

*de Murr.*



F R A N E Q U È R È,  
Excudit HENRICUS HALMA, Ill. Frisiæ  
Ordd. atque Eorund. Acad. Typograph. Ordinar.

M D C C X I X.

AD  
BIBL. UNIV.  
MONAC.



Rom. i. ὑf. 22,23.

Φάσκοντες εἴναι τοφοί, ἔμωράνθησαν. Καὶ ἡλλαξαν τὴν δόξαν τῆς ἀφθάρτης Θεᾶς ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθειρτῆς αὐθέρπης, καὶ πετεινῶν ἢ τετραπόδων ἢ ἐρπετῶν.

2 Tim. iii. ὑf. 8,9.

Οὐ τρόπου δὲ Ἰάννης ἢ Ἰαμβρῆς ἀντεῖστων Μωϋσεῖ,  
οὐτως καὶ οὗτοι αὐθίσαντας την ἀληθεῖαν, ἀνθρώποις  
κατεφθαρμένοι τὸν νοῦν, αἰδοκίμοι περὶ τὴν πίσιν.  
Ἄλλ' οὐ προκόψουν ἐπὶ πλειόν ἢ γαλεῖς ἄνοιας ἀντῶν  
ἐκδηλος ἔσαι πᾶσιν, ὡς καὶ οἱ ἐκείνων ἐγένετο.



## P R Æ F A T I O.

L. B. S.

**N**Ullum ferme seculum hoc, in quo ho-  
die vivimus, portentosarum opinionum  
fuisse feracius, nemo, qui præterito-  
rum non plane ignarus est, baud dif-  
ficulter concesserit. Ab eo enim tempore, a quo  
per Cartesium Rationi integritas asserta fuit,  
multi eam adeo cœperunt deperire, ut, quibus-  
cunque posthabitis, in cunctis solam ejus dicta-  
men sequi proposuerint, atque ipsi Deo tale  
quid, quod non satis cum clara & distincta  
perceptione concordare videbatur, revelanti fas-  
ces subdere recusaverint. Sed ulterius progressi  
sunt: nam id suo Idolo (integræ rationi) ignominiosum reputantes, si circa plurimarum  
rerum notitiam hærerent, & videntes, id ne-  
cessario sequi, quandiu earum originem incom-  
prehensibilem faterentur, maluerunt loco veri  
\* 2 Dei

## P R A E F A T I O.

*Dei introducere aliquod Numen fictitium; cuius claram ac distinctam haberent ideam, & sic, ut dicam, quod res est, fieri Athei, quam circa res quamplurimas earumque ortum suam ignorationem confiteri.*

*Spinozam ejuscemodi nequitiae esse Professorem publicum, plerique haud gravatim concedent; sed Cartesium, qui summa astutia suum propositum tegere allaboravit, ejusdem criminis reum esse, vel non vident, vel cernere nolunt: quamobrem, ne quorundam animos, per ejus Philosophiam ad id preparatos, tantum invadat scelus, semina Atheismi in ejus Philosophia contineri, atque illum illa, quibus commode nefandorum errorum sistema superstruxit Spinoza, jecisse fundamenta, orbi eruditio ostendere in animum induxi.*

*Atheum voco illum, non qui, cui innata conscientia pudorque naturalis quam maxime refragantur, aperte & totidem verbis alicujus entis supremi existentiam negat; sed & eum, qui Dei veritatem in mendacium convertit & per fictitium alicujus Numinis conceptum, quem vero supponit, verum Deum e mundo eliminare satagit; quod Cartesum sua Philosophandi methodo intendisse, justa suspicandi ratio est, quam nunc breviter exponam.*

Phi-

## P R A E F A T I O.

*Philosophaturo commendat de quibuslibet dubitationem, neque tantum de rebus incertis; sed & (non sine maximo animi horrore hec refero) de ipso Deo: nec in dubitatione constitit; sed hec pro falsis habere jubet. Nulla igitur certa & convincens ei fuit ratio, qua veri Dei adstructa fuit existentia: quare etiam argumentum illud validissimum, a causarum subordinatione petitum, prorsus rejicit. Ipse interea adduxit argumenta straminea, ad probandam veri Dei existentiam ne cassa quidem nuce digna, ast apprime, uti in hoc meo Tractatu ostendo, inferendae Dei Spinozistici existentiae consentanea; quorum primum & tale, quo, ipso fatente Cartesio, (o quantus jactator!) nullum melius ab ingenio humano excogitari potuit, Cartesianorum sagaciorum quidam sophisma pronunciant. Audiamus super his judicium Eruditissimi Viri Ill. Huelli Cens. Phil. Cartes. Cap. 3. Quibus tamen (argumentis a Cartesio pro demonstranda existentia Dei allatis) nihil esse futilius, nihil incertius candidis Lectoribus approbaturum me confido. Adeo ut si exploratissima non esset, uti fane est, Dogmatum illorum notitia, merito verendum esset ne apud incautos homines,*

\* 3

va-

## P R A E F A T I O.

vanis adeo probationibus a tanto viro allatis deterritos, in dubium vocaretur. *Qui valida argumenta pro Dei existentia allata removet, usque inepta substituit, quorsum ille collineat, vel luscus facile videbit.*

Neque quis mihi objiciat, *Cartesium tamen conatum fuisse adstruere Dei existentiam. Fato;* sed ejusmodi Dei, ex cuius natura com mode mundum suum mechanicum tanquam ex causa necessaria deducere quiret. Dico ceterum ex causa necessaria; quoniam incredibilis fuisse stupiditatis indicium e causa liberrime agente certam & determinatam arcessere mundi fabri cam. Et nondum eruditorum memoria excidit, quid in hac causa praestiterit magnus ille Athe ismi Apostolus Julius Cæsar Vaninus, qui anno xv. superioris seculi edidit suum Amphitheatrum Æternæ Providentiae Christiano Physicum, adversus veteres Philosophos, Atheos, Epicureos &c. In quo libro tam strenue Dei causam, quam tamen reapse prodebat, etiam non indoctis viris egisse visus fuit, ut, præter acclamantium eruditorum applausum, quadruplicem quoque approbationem fuerit adeptus. Ita testatur librorum Censor: eum librum nihil a Catholica & Romana fide

## P R A E F A T I O.

fide alienum, sed cum peracutas, tum præ validas rationes juxta sanam sublimiorum in sacra Theologia Magistrorum doctrinam continere, Tales ejusmodi nebulones possunt adhibere artes, quibus, cum palam Dei causam quam maxime promovere videntur, eam nihilominus clam perdant.

Eo quoque recta dicit homines ejus veritatis norma, clara & distincta perceptio; cuius certitudinem tantopere afferit, tantamque jactat, ut, jam Deo verace cognito, ad plenissimam de veritate persuasionem opus non sit ad rationes attendere, modo nobis clara & distinctæ obversetur perceptionis recordatio. E contra falsa illa intrepide pronuncianda statuit omnia, quæ nostræ claræ & distinctæ perceptioni adversantur: & quamvis modestiores Cartesiani hanc ultimam regulam mitius interpretari studeant, tamen quam luculentissime in priore continentur, & ipissimis Cartesii verbis Med. vi. confirmatur: Non enim (*inquit*) dubium est quin Deus sit capax ea omnia efficiendi quæ ego sic percipiendi sum capax; nihilque unquam ab illo fieri non posse judicavi, nisi propter hoc quod illud a me distinete percipi repugnaret. Et iterum Epist. 105. Part. i. Ac

## P R A E F A T I O.

proinde debere nos de illis judicare secundum ideas istas, imo & cogitare esse absolute impossibile, & implicare contradictionem quicquid ideis istis repugnat.

*Dixi hoc dogma recta homines ducere ad Atheismum: nam (præterquam quod eo introducatur Enthusiasmus Philosophicus & omnimoda judiciorum de rebus confusio; cum nulla sit ratio, cur ego meæ claræ & distinctæ perceptioni minus fidam, quam alter suæ; quamvis forsan sibi invicem sint plane adversæ) illud plane supremam Revelationis tollit auctoritatem, & ei supra rationem concedit prorsus nullam: si enim tanta sit claræ & distinctæ perceptionis certitudo, ut, si illa fallere posset, ipsa Dei veritas proscribenda sit, omnino tunc, quando inter Revelationem & clarum ac distinctum rationis dictamen quædam appareret oppositio, tenetur huic habere fidem; illam vero repudiare vel negligere, ne tanti criminis, quod Deum imposturæ accusaremus, reperiamur rei.*

Hanc consequentiam satis præsigivit ipse Cartesius; quapropter, ut evitaret Doctorum Ecclesiæ Romanæ offensam, res fidei exceptit; sed, uti sapientia solet, bona tantum dedit verba; cum ipso facto passim contrarium satis o-

sten-

## P R A E F A T I O.

*stendat, & Revelationis prorsus securus Philosophetur, ejusque auctoritate, quanti præ rationis dictamine Revelatio facienda sit, prob dolor! ubique doceant.*

*Causæ efficientis admodum perversa illi notio est, ac si ea absolvatur, quod ista omne illud, quod ab ea procedit, formaliter vel eminenter contineat; cum tamen ille continendi modus potius ad causam materialem vel formalem, quas vocant, quam ad efficientem pertineat: modi vero continendi aliquod virtualiter, i.e. ea istam esse virtute præditam, qua aliquid a se distinctum quod vel prorsus non fuit, vel tale non fuit, quale postea est, producat, si recte memini, altum est silentium. Et, nisi memoria me vehementer fallat, nullus in Cartesii Principiis vel Meditationibus extat locus, in quo Deus causa transiens aliquod, quod necdum erat, a se vere & omnino distinctum producens nuncupatur. Hinc certissime quoque sequitur, Deum, si tandem sit res cogitans & non extensa, nullam extensionem efficere potuisse; quoniam eam neque formaliter neque eminenter in se continuit. Quæ super hoc argumento differit Cl. Jac. Witichius in famosa illa disputatione de Natura Dei §. xiiii. digna sunt quæ legantur; ita tandem*

\* 5

con-

## P R A E F A T I O.

concludit: quare quidam sentientes, se hoc nodo insolubili constrictos esse, fassi sunt, Deum æque proprietates corporum ac spirituum possidere, spiritum autem & non corpus vocari, quia usus obtinuit, ut a nobiliore parte fiat denominatio. *Et §. xiv.* hæc profert verba: Quomodo omnia ex perfectissima Dei natura orientur &c. *Fateor,* *Virum Cl.* (*de ipsa re hic nihil dicam, neque litem meam facio*) secundum principia Cartesii non male fuisse argumentatum. Id tantum in genere rogatum vellem; cur is, qui Deum non solum perfectissimam cogitationem, sed veram causam efficientem transeuntem agnoscit, hic adeo Spinozae arguento constrictus haerere debat? Sed non absque singulari Dei accidit providentia, quod Cartesiam inter se de Spinozismo digradientur, & alter alterum ejus accuset; accusatus vero se ipsius Cartesii auctoritate tueratur: Hinc accusator necessario ipsum Cartesium ejusdem criminis reum agere tenetur.

Factavit Cartesius, sibi admodum claram & distinctam Dei esse ideam, quamvis non adequatam. Talis idea Dei Spinozistici commode haberi potest; cum nihil conceptu facilius sit quam substantia, suam realitatem suasque per-

## P R A E F A T I O.

perfectiones per infinita attributa exprimens; quamvis, quot & qualia exprimere queat, non plene assequamur. Eodem modo ut is, qui in littore stat, naturam maris clare & distincte quidem concipit, licet totam ejus amplitudinem haud cernat. Verum Deum omnes Orthodoxi contentur incomprehensibilem; & eum habitare lucem inaccessam, Apostolus testis est.

Unicam veram & propriæ dictam agnovit Cartesius substantiam; quod in hoc scripto apodictice probatum dedi.

Duo summa statuit rerum genera, cogitationem & extensionem; atque illa vocat attributa substantiae essentiam constituentia: quo tamen nihil potest statui absurdius; cum substantia per se existat & simplex sit, omneque attributum natura substantia posterius, nisi cum Spinoza velimus, illas realitates substantiae inesse, eamque se per istas exprimere.

Vult etiam leges quasdam Divinæ essentiae inesse, secundum quas in natura agat, ipsaque naturæ leges ex Dei essentia esse arcessendas; atque ut uno dicam verbo, Deum agere necessario.

Animadvertis jam unusquisque mecum, num a Cartesio sat materiæ Spinozae suppedita-

## P R A E F A T I O.

tata fuerit, e qua impiam suam Philosophiam concinnare potuerit, & an aliquid ulterius desiderari queat?

Sategit quidem Vir Cl. ostendere, Spinozam sua habere a Stoicis, sed sine ulla verisimilitudinis aut probabilitatis specie: nam, quamquam non eo inficias, vix hodie extare errores, quamvis nova quadam ueste induitos, qui non a priscis traditi sint; non tamen inde certo concludendum, illos, qui cum veteribus eosdem docent, ab illis istos fuisse mutuatos; quia casu contingere potest, ut duo sibi invicem ignoti incidant, vel in eandem veritatem, vel errorem eundem. Et, si hic aliquid conjectandum sit, majore cum verisimilitudine id de ipso Cartesio presumendum; quandoquidem ille in juventute inter Scholasticos versatus est, ab iis edocitus fuit, & ita occasionem habuit eorum placita perquirendi; ipsum autem in Philosophia Stoica hospitem non fuisse, ejus in Senecam de vita beata animadversiones satis superque testantur: & quod reapse multas priscorum, etiam Stoicorum, errores ab orco revocaverit, Ill. in Censura Philosophiae Cartesianae demonstrat Huetius. Si igitur inter Spinozismum & Stoicismum quedam sit affinitas, erit per tertium

ali-

## P R A E F A T I O.

aliquid, nempe Philosophiam Cartesianam. Et revera, qui haec sequentia perpenderit, dubitare non poterit, quin Spinoza sua a Cartesio, seu proxima origine, habeat. 1. Spinoza dicit Philosophiam Cartesianam. 2. Ea illi fuit in deliciis. 3. Ejus fuit adeo peritus, ut eam, & alios docere potuerit, eamque methodo Mathematica demonstrare tentaverit. 4. Summa Philosophiae capita & principia Cartesio & Spinoza sunt eadem. Eadem, quoad sensum, substantiae, attributi, modi definitio. Uterque tantum admittit cogitationem & extensionem. Uterque claram & distinctam perceptionem pro norma veritatis habet. Ambo statuunt extensionem infinitam, eamque, ut & cogitationem, distinguunt in generalem & singularem. Utrique, quoad sensum, licet Cartesius ubique ei convenienter de illa non Philosophetur, eamque ob causam illum Spinoza carpat, eadem libertatis definitio.

Et sane in Philosophia Cartesiana esse Spinozismi, aliorumque gravissimorum errorum principia, tristis docuit eventus. Evidem e qua Schola prodit illud, conniventibus in eo cunctis Cartesianis, quibusdam id defendantibus, crudum, blasphemum, Spinozisticum &

om-

## P R A E F A T I O.

omnem Christianam Religionem convellens dogma, tantam esse rationis, imo majorem, certitudinem, quanta est S. Revelationis, quam e Cartesiana? Hinc non verentur quidam auctoritatem S. Literarum rationi postponere, & satis impie effutire, S. Scripturam in rebus naturalibus loqui, non secundum rei veritatem, sed erroneam vulgi opinionem. Horum blaterorum os in suo Recto Usu Contemplationum Hujus Mundi, opere certe nunquam satis laudando, egregie obturavit Vir Ampl. & Doctiss. D. Bernardus Nieuwentyt; in quo, nullos de S. Scriptura tam irreverenter posse loqui, quam ipsarum rerum naturalium ignaros, per quam erudite ostendit. Insignis fuit Cartesianus, qui ob hoc Cartesianum principium, Deum ea, quæ claræ & distinctæ perceptioni adversantur, facere non posse, contra communem Orthodoxorum fidem aeternam Filii Dei generationem negare ausus fuit. Cartesianus fuit van Hattum, qui suo pestifero veneno magnam infecit Zelandiæ partem. Cartesio addictus fuit Author Orbis Fascinati, & ex ipsis principiis recte fuit Philosophatus. Qualis fuit Geulingius? quem tamen publicis scriptis taxavit ipse Vir Cl. An. Cl.

## P R A E F A T I O.

Cl. Voldero peritior atque perspicacior fuit Cartesianus? Eum tamen Vir Cl. Spinozismi non prorsus absolvit. Ejusdem Sectæ fuit Leenhof. Quantus fuerit Deurhoff Cartesii estimator, vel ex solo carmine vernaculo, quo quandam Cartesii effigiem decoravit, unicuique abunde constare posset.

Frustra excipitur, illos Viros non fuisse genuinos Cartesianos, sed a Cartesio recessisse. Contrarium constat: fuere sane Viri maximo ingenii acumine præediti, qui per exteriorem doctrinæ Cartesianæ corticem, ei per molliora, quæ hic & alibi habet, verba, imanesque cautelas, dicis causa propositas, obdutum penetrarunt ad ipsam medullam; & licet Cartesius istas opiniones ipse non aperte docuerit; et tamen commode ex ejus principiis eliciuntur, iisque fulciuntur; quod petenti vel nullo labore demonstrare quirem.

Hæc cum ita se habeant, omnino existimavi Dei, veritatis pietatisque interesse, ut impia Cartesii molimina luci exponerentur: idcirco, quando mea Principia Philosophiæ Theoreticæ ad quorundam petitionem in linguam vernaculam transtuli, iis subjunxi exiguum Tractatum, cuius titulus est Cartesius Spinozæ Prae-

## P R A E F A T I O.

prælucens: in quo quædam consensus Carte-  
sium inter & Spinozam exhibui specimen, ut  
homines monerem ne incanti per Philosophiam  
Cartesianam transeat ad execrabilis Spinoza  
errores. Hic multis, qui pro Cartesio stant,  
dispicuit, præsertim hic Vir Cl. eum concoque-  
re non potuit, quare, simulac publici juris fac-  
tus est, mihi, ut e quibusdam intellecti, mi-  
nitatus fuit refutationem. Tacuit tamen huc us-  
que, & forsan in perpetuum quievisset, nisi  
per meum Tractatum quibusdam de Cartesii or-  
thodoxia scrupulum fuisse injectum, animad-  
vertisset. Paravit itaque initio hujus anni pro  
Cartesio Apologiam, & multis meorum argu-  
mentorum prætermisis, quibusdam non rite  
propositis, multo minus satis enervatis, &  
multis phrasibus, e Cartesio conquitis & cum  
Spinoza locutionibus comparatis, ejus orthodo-  
xiæ & totalem a Spinoza diffensum common-  
strare studuit. Profecto gratulor mihi tantum  
Cartesianum Cartesique amatorem, quo majo-  
rem expectare non potui. Et uti ego sic habeo,  
illum sincere & ex candida animi sententia  
Cartesii patrocinium in se suscepisse; quapro-  
pter id nequaquam ægretuli, neque verbo vel ope-  
re contrarium ostendi: ita quoque ab ejus huma-  
nitate

## P R A E F A T I O.

nitate expecto ut, hanc meam contra Carte-  
sium scriptiōnem ex eadem animi sinceritate pro-  
diisse, existimet, eamque æqui bonique confu-  
lat: potissimum cum, id exigere rei momentum,  
judicem & fidem meam antehac obstrinxerim.

Unum illud monendum restat, Cartesium ma-  
gnia cum calliditate atque astutia Philosophiam  
suam composuisse, virusque suum tam vafre  
occultasse, ut primo intuitu, vix perspicacissi-  
mis, multo minus cunctis, innotescere queat;  
sed seria attentione, longa meditatiōne, nec non;  
ad verum ejus sensum eruendum, principiorum  
cum conclusionibus accurata collatione opus sit:  
quæ difficultas, interjectis quibusdam in locis  
phrasibus mollioribus & sensum orthodoxum fun-  
dentiibus, non parum augetur. Vanum itaque est  
ex iis ejus velle demonstrare Orthodoxiam ve-  
rumque sensum; utpote, non e verbis sparsim  
extantibus, sed e principiis demonstrandum.  
Præcipue id impossibile est, quando Author le-  
ctores loquendi modis circumvenire studet, quin  
& mentiri non veretur: quod a Cartesio præ-  
stitum esse, abunde probaveram, & jam pro-  
bavi denuo. Vis Lector ejus levitatis, inconsi-  
tanțæ, malarum artium, & quam susque deque  
habeat veritatem, modo scopum suum attingat,

\*\*\*

uni-

## P R A E F A T I O.

unicum duntaxat hic specimen? confer ea quæ habet in Epistola ad Dinetum, cum iis, quæ scripsit in Notis ad Programma, & in Epist. XXII.  
 Part. I. Ibi uno in loco Virum, sibi notissimum, cum quo saepius sermones miscuerat, & multum fuerat literarum commercium, summopere laudat, eique tribuit: ingenuitatem, acerrimum ac perspicacissimum ingenium, sagacitatem, imitantam, ut visis duntaxat ejus Dioptrica & Meteoris, inde integrum Physiologiam concinnare potuerit, & quidem adeo bene compositam, eruditam, ut multis Viris Doctis valde placuerit, iisque propterea Professionem Medicinæ a Magistratu Ultrajectino pro eo petierint atque impetraverint. In aliis vero locis eundem Virum tantopere iterum vituperat dicitque, esse tantum fidum exscriptorem; non tam amore veritatis teneri, quam novitatis; adeo in suis inventis esse infelicem ut nullum unquam verbum in ejus scriptis notetur, quod ex aliis non exscripsit, in quo non contineatur aliquis error; in Physica nihil habere præter assertiones suas malo ordine digestas & veris argumentis destitutas; esse plagiarium; ignorantem; hominem, qui cæco impetu ad aliquid feratur, &c. Conciliat ali-

## P R A E F A T I O.

aliquis hæc unius ejusdemque hominis de eodem in eadem re adeo contradicentia judicia. Mirari vero subit, cur Vir Cl., dum defensionem Cartesii in se suscepit, (deceptor enim & mendax, quam fidem, ubi recte loqui videtur, mereri potest?) cum ab hac labore liberare nontentaverit; quod nifiat, cuncta, quæ ad probandam ex verbis & phrasibus ejus orthodoxiam protulit, nihil omnino valent. Prudenter vero hæc præterit Vir Cl.; quia ejus fallacie & artes ad decipiens compositæ ubique nimis claræ & apertæ sunt.

Seposta autem bac impietate, nullam video rationem ob quam hæc Philosophia, utpote mere idealis (inverso enim Cartesius procedit ordine; & universalia, ut cogitationem in genere, extensionem in genere, mera entia rationis, vocat substantias; singularia, vero, vera entia, veras substantias, modos) & fictis quibusdam hypothesibus nixa tantis laudibus ornanda, nec non tantopere commendanda sit. Profecto maximum discrimen est inter Philosophiam e diligente observatione atque repetitis saepius experimentis erutam & inter in cerebello cuiusdam in hypocrausto fere somniantis cusam. Ingenue hanc perversum agendi modum, olim a se quoque adhibitum fatetur Cl. Willius & damnat in Praefat

## P R A E F A T I O.

*fat. Cerebri & Nervorum Anatomie: Deposcente (inquit) enim illa quam in hac Academia sustineo Provincia, ut de sensuum, qua externorum, qua etiam internorum, muniis, de Animæ facultatibus affectibusque, nec non horum omnium organis & vario apparatu commentarer, & in eam rem rationum syllogas aliquot, & phenomenis non abludentes hypotheses excogitasse, quæ (ut fieri in istiusmodi negotiis amat) in sistema quod-dam artis & Doctrinæ compagem demum accreverant. Tandem vero cum, deflagrante inventionis impetu, singula retractarem, & ad severiores calculos exigere, is mihi videbar esse, qui, ceu pictor aliquis, caput humanum non ad Archetypi alicujus fidem, sed audacis penecilli arbitrium delineaverat, id secutus, non quod verius, sed quod accommodatus, quodque optavit potius referret, quam quæ cognosceret. Hæc serio apud me pensans, tandem velut ex placido evocatus somnio tristis evigilavi; puduit nimirum me huc usque precario fuisse Philosophum, & Poeticam quandam Physicen, novitate imprimis, & conjecturis affabre atque concinne sese excipientibus, Auditores meos & me ipsum*

## P R A E F A T I O.

ipsum delinivisse, & utriusque nostrum, ceu incantamento & præstigiis, fecisse fucum. *Id ad animum revocent ideales Philosophi, qui omnem veritatis cognitionem ex se ipsis depro-mere nituntur; & si veritatem fateri velint, se procul a veritate abesse deprendent.*

*Quem usum præstet hæc Philosophia Theo-logie, Religioni & pietati, e sequentibus clara-rum erit. Tremendi Dei essentiam sola cogita-tione, quæ ab hominibus & etiam a S. Viris stipula levior habetur, circumscribit. Deo tan-tum tribuit duo (quidni unum duntaxat, nem-pe cogitationem, utpote intellectum & volunta-tem complectentem?) attributa, Intellectum & Voluntatem: alia tantum sunt relationes & de-nominationes externæ. Hinc quo nomine illis at-tributum veniat, satis claret. Ex ea omniprä-sentia Dei nihil aliud est quam denominatio ex-terna, nata ex ejus operatione ad extra. Unio Mediatoris hypostatica neutiquam tam arcta, quam nobis in Sacris proponitur, concipi potest. Inter animam & corpus non est vera Physica unio. Homo sibi posset cavere ab omni errore, ac proin peccato. Nostra voluntas formaliter tam ampla est quam ipsius Dei. Nos respectu istius amplitudinis præcipue Dei imaginem referimus.*

## P R A E F A T I O :

*Ubi in mera cogitatione boni vel mali habitus  
hospitari queant, fateor me ignorare. In mundi  
productione nulla Dei sapientia, providentia,  
bonitas agnoscitur: indito enim materiae dunta  
motu, omnia ita oriri debuerunt juxta quas-  
dam leges necessarias, uti jam nata sunt; ne-  
que ejus mundi fabrica homines magis excitat  
ad Deum celebrandum, quam Epicuri. Rap-  
tus fit ob formatum in utero corpus in summam  
admirationem Psaltes; tanti id non est Carte-  
sio: seminibus enim in utero sibi invicem per-  
mixtis fermentatio oriri debuit, dein motus  
juxta quasdam leges, & sic formari cor, ce-  
rebrum, jecur, lien, &c. Quis non miretur  
hominis in re tam abdita immensam & haud  
tolerandam audaciam? quam tamen vesanam  
arrogantiam accurvior anatoma jam plane re-  
tudit & omnium ludibrio exposuit.*

*Hæc mihi extorserunt immodicæ Viri Cl. lau-  
dationes, quibus istam Philosophiam ad astra  
usque extollere fategit: sed multa tolluntur in  
altum ut lapsu graviore ruant. Per quos pro-  
mota sit illa Philosophia, & an non primarium  
promotorem præteriverit, nihil ad me. Scrip-  
tum hoc jam ante semestre spatiū habui para-  
tum; expectavi vero utrum in sequentibus dis-  
puta-*

## P R A E F A T I O .

*putationibus aliquod prodiret, quod me tan-  
get; & quandoquidem in iis tale nihil depre-  
hendi; judicavi nunc tempus esse id divulgan-  
di. Scio equidem, prout nunc sunt tempora,  
pluribus displicitum quam placitum: sed  
nullam affecto gloriam, applausum nullum,  
neque studeo hominibus placere; si labor meus  
Deo, cuius causam egi, & cuius gloriam sar-  
tam tectamque servare conatus sui, placeat,  
abundans mihi erit merces. Si interea ex hoc  
fructus aliquis ad quosdam homines redundet,  
& eo contra seductores magis muniantur,  
mihi perquam gratum erit. Omnia quæ putavi  
scopo meo posse inservire, contuli; & cum haud  
dubie Vir Cl. etiam omnes ingenii sui nervos in-  
tenderit ad Cartesium defendendum, excusan-  
dum, laudandum, commendandum, hoc ne-  
gotium nunc poterit esse confectum. Si tamen  
Viro Cl. placuerit iterum in me insurgere, id fa-  
ciet impune: aliter quidem penes me, quando  
Tractatum hunc scripsi constitueram; sed num  
mutavi consilium, & certo in animum induxi  
eadem chorda rursus non oberrare, & quod se-  
mel dictum est repetere; quia puto, me id adeo  
solide demonstrasse, ut nihil alicujus momenti  
addere queam: nihil mihi eorundem repetitione in-  
ju-*

## P R A E F A T I O.

jucundius; nihil crambre recoc̄ta ingratis. Sufficit mihi imprimis Cartesii impietatem detectisse, quam si qui jam non videant, vereor ne incassum laborem tentando plura. Interim hoc silentio, ne quis de ipso Viro Cl., quia magnus Cartesianus est, male suspicetur, preterire nequeo, ipsum ab erroribus Spinozisticis non minus quam me esse alienissimum; sed existimo, eum, quod cum pace ejus dixerim, genuinam Cartesii mentem, intimusque ejus scopum nondum recte percepisse: quare, si ipsi placet me refellere, omnix eum rogatum velim ut e Cartesii principiis aut meditationibus, non ex Epistolis aut Responsionibus ejus, in quibus ob quasdam rationes sepe aliter loquitur, clare & solide ostendat, me errasse: & sancte polliceor, si me hic erroris viderim convictum, me non solum manus daturum, sed & publico scripto, si Deus mihi tandi vitam largiatur, errorum meum confessurum; quin insuper maximo perfusum iri gaudio, quando solide demonstratum videro nihil erroris Spinozisticī a Cartesio esse metuendum. Id unum nunc lectorem rogatum velim ut attento animo rationes meas cum Viri Cl., vel jam prolatis, vel forsan in posterum proferendas, conferat, &, non ex animi in hunc vel illum propensione, sed juxta rationis & conscientiae dictamen æquum ferat judicium. Vale.

C A R-

Pag. 2

## CARTESIUS VERUS SPINOZISMUS ARCHITECTUS.

### Caput I.

#### S U M M A R I U M:

Artes, quibus impostores uti solent ad homines seducendos, indicantur. I. Quales etiam adhibuit Cartesius, iisque multos sibi habuit addictos. II. Magnos etiam habuit Adversarios, multisque fuit suspectus. III. Impietatis non sunt accusandi omnes ita dicti Cartesiani, sed si solum, qui genuinum ejus sensum sequuntur. IV. Hunc secutus fuit Spinoza. V. Reete hic attendendum ad verum controversie statum VI. Authoris de suis, olim de hac materia editis, argumentis, a Cl. Antagonista non rite propositis, & quibusdam omissis, querelæ VII.

A

Etc.

## CARTESIUS VERUS

*Artes, quibus impostores uti solent ad & aperte, sed clanculum & tecte perniciose introducere hærefes, & verbis fiducientis, ac in quamvis fere formam versis, indutos, inducantur.*



Leganter admodum & graphicè impostorum mores depingit Apostolus Petrus Epist. 2. Cap. 2. quando dicit, illos non palam & aperte, sed clanculum & tecte perniciose introducere hærefes, & verbis fiducientis, ac in quamvis fere formam versis, indutos, inducantur. de iis, tanquam de propria possessione, disponant. Teter sane & foedus, quando nuda facie in publicum prodit, error est, & nulli ratione utentium non abominandus; quare, assumpta pietatis & sinceritatis larva, sub praetextu inquirendæ veritatis, atque amplioris sapientiae ac cognitionis inventaræ, se plerunque hominibus commendat. Arte igitur non exigua opus est, qua virus vocabulis ambiguis celetur, & sub mollioribus locutionibus, ne fraud prima fronte pelluceat, lateat. In primis nova & speciosa utendum est methodo, qua aliquid insoliti, & vulgarem sapientiam præcellentis, videatur promitti, & rerum novarum cupidi, in admirationem rapti, tanto avidius accurvant, doctrinæque erroneæ principiis, citius quam fas est, imbuti, seducentium cassibus irretiantur.

*Quales*

Haud absimili ratione instituit Cartesius;

## SPINOZISM ARCHITECTUS.

sius; quippe qui, erronea sua Philosophemata orbi obtrudere fatagens, magnum impietatis, quod mente premebat, mysterium, ambiguorum verborum involucris texerit, pro tempore reticerunt, aliquando pietatem simulaverit, grandia & non vulgaria fuerit pollicitus. Hisce artibus magna ex parte voti quoque factus fuit compos; & quidem eo facilius, quo Philosophia vulgaris eo tempore nungis & tricis Scholasticorum esset deformior, & præstantiora ingenia clariorem & solidiorem obnixe expeterent. Neque diffitendum est, illum multos viros non insimi nominis sibi habuisse addictos, fautores & laudis suæ præcones gnavissimos.

Attamen ei quoque, & quidem magni nominis, non defuerunt adversarii: ut Voctii, Spanhemii, Hoornbeekii, Mastrichtii, Leydekkeri, Vriesii, alii que, qui hanc Philosophiam considerant tanquam omnium malorum congeriem, inse continentem cujusvis lolii feminam, suo tempore etiam in agro Theologico germinatura: an recte ominati sint, ii, quibus religio, veritas & pietas cor-di sunt, judicent. Id saltem verum est ejus occasione multas excitatas fuisse lites,

*Magnos etiam babbuit Adversarios, multifac que fuit suscep-tus.*

## 4 C A R T E S I U S V E R U S

rixas, discordias, animorum divertia, & ipsorum in Christo fratrum, non sine aperto scandalo & proborum dolore, in partes fuisse distractos animos. Ab eo tempore, quo Ultrajecti studiis Philosophicis operam navavi, pro modulo ingenii istam Philosophiam serio expendi, & quidem adeo libere, ut ideo Præceptor meo suspectus fuerim, ipseque mihi saepius coram dixerit, se vererine transirem in castra Cartesianorum. Nunquam tamen mihi satis arrisit; quia in ea plus soliditatis desiderabam: fateor tamen, me tunc eam non satis intellexisse; & postquam Cartesii mentem melius percepit, inveni quidem in ea, positis ejus principiis, plus soliditatis, sed insimul plus impietatis.

*Impie-* Absit tamen quod omnes Cartesianos *tatis non* impietatis insimulem! scio illos duplicitis *sunt om-* esse ordinis, & quosdam verba Cartesii, *nes accu-* quæ in bonam partem interpretantur, *sandi ita* sequi; alios vero ad genuinum verborum *dicti* Carte- sensum penetrare, & e dogmatum inter- *fiani; sed* se collatione talia elicere principia, quæ *ii solum*, vel ipsum Atheismum directe inferunt, *qui ge-* vel viam ad illum inferendum non obscu- *ninium* re sternunt. Inter eos, qui ad posterio- *eius sen-* rem ordinem pertinent, primipulus est *sum se-* *quantur.*

Spia-

## S P I N O Z I M I A R C H I T E C T U S .

Spinoza, qui, et si præcipua suæ Philosophiæ fundamenta e Cartesio hauferit, non tamen satis ingenue, per quem profecerit, vult confiteri. Pro certo tamen habeo, quod, si nullus fuisset Cartesius, etiam nullus fuisset Spinoza. Quo sensu hoc intellectum velim, clarum est. Sed quicquid de hac re sit, id mihi probandum incumbit, & lubens suscipio, Cartesium inter & Spinozam, quoad primaria principia, esse maximam convenientiam.

Scripsi ante quadriennium exiguum Tractatum lingua vernacula, cui titulus *Cartesius Spinozæ prælucens*; in quo demonstravi, Cartesium in sua Philosophia ea jecisse fundamenta, quibus Spinoza impiam & profanam suam Philosophiam inædificavit. Hic (absit gloriatio) a multis viris doctis cum applausu fuit exceptus, & mihi pro præstito labore per epistolæ gratias egere. E contra usit vehe- menter Cartesianos, & idem Vir Cl. & Doctus, qui jam causam Cartesianam defendit, minitatus est, ut mihi ab ipsis discipulis relatum est, se hoc meum scriptum refutaturum. Tacuit tamen hu- cusque, quibus rationibus inductus, ne- scio: disputationis, jam editæ, reddit

v.  
Hunc  
secutus  
fuit Spi-  
noza.

A 3

ratio-

## 6. C A R T E S I U S V E R U S

rationem. Interea gratulor mihi datam occasionem pertexendi telam inceptam; neque immodecæ laudes & aggesta encomia, quibus Vir Cl. Cartesium & ejus Philosophiam ad Coelum effert, meum mutabunt propositum, ast potius stabilient; ut qui sciam, falsa fucis, phaleris turpia indigere: neque absque ratione apud nostrates in proverbium abiisse, quod Sponsa deformis & sordida multo egeat ornatu.

v. 1.  
Rete  
hic at-  
tenden-  
dum ad  
verum  
contro-  
versie  
statum.

In antecessum velim ut lector sciat, quis sit verus controversiæ status: qui hic non est, utrum inter singulares vel particulares Cartesii & Spinozæ opinio-nes omnimoda sit concordia? Nequaquam: nam fieri potest, & non raro con-tingit, ex iisdem primis principiis diver-sas, quin tandem oppositas, elici con-clusiones: sic. v. c. in re, cuius essentia sola cogitatione absolvitur, nullam posse esse voluntatem, certus sum: alii tamen contrarium existimant. Cogitationem non posse afficere ullo modo corpus ali-quod, sole meridiano clarus est, quod tamen quidam Cartesiani difficulter con-fiteri volunt. Spinoza in multis a Car-tesio divortium facit, ne videatur Cartesii nimis aut mancipium, sed ut novæ Phi-loso-

## S P I N O Z I S M I A R C H I T E C T U S. 7

Iosophiæ conditor audiat. Quare Vir Cl. se suosque lectores frustra fatigat texendo tantam oppositorum seriem, quamvis inter multa tanta non sit oppositio, quan-tam lectori suo persuadere studet Vir. Cl. Hoc vero duntaxat inter nos controver-sum est, utrum primaria hæc duo prin-cipia, nim. *unicam tantum esse veram & proprie dictam substantiam*, & *Deum esse agens necessarium*, quibus tota Spinozæ Philosophia nititur, Cartesio & Spino-zæ communia sint? Id affirmavi & de-monstravi, atque etiamnum affirmo & uberioris demonstrabo.

Antequam hoc opus aggrediar pauca præmittere visum fuit, ut lector, quo-modo in examine nostrorum scriptorum se gerat, rite informetur. Non egit me-cum Vir Cl. (quod cum pace ejus dixe-  
rim) ut accuratum disputatorem decet:  
nam quædam argumenta, a me allata,  
plane reticuit; sic v. c. ostenderam ego,  
Cartesium non egisse bona fide; saepius  
usum esse vocibus ambiguis; veram suam  
sententiam aliquando abscondidisse; hic  
negasse, quod alibi affirmaverat; mera  
verba dedisse; & similia. Ad hæc omnia  
filens, ea sicco pede præterit, ac si nul-  
lius esset momenti authorem, qui im-  
postu-

vii.  
Autho-  
ris de fu-  
is, olim  
de bac  
materia  
editis,  
argu-  
mentis a  
Cl. An-  
tagonista  
non rite  
proposi-  
tis, &  
quibus-  
dam o-  
missis  
qurele.

posturæ accusatur, a mala fide liberare, & ejusmodi contra ipsum maximum non parerent præjudicium. Clare quoque indicaveram, multas opiniones Cartesianas, ut candem motus in mundo permanentem quantitatem, vacui & pluriū mundorum impossibilitatem, aliasque, solis hisce principiis certo inferri, & alias rationes, pro iis fulciendis a Cartesio allatas, esse nugaces & pueriles. Hoc quoque intactum relinquit. Tandem rationes meas, quas videtur examini subjeccisse, lectori proponit nudas & omnis ratiocinationis munimine destitutas; quod sane nihil aliud est quam lectorum oculis pulverem inspergere, ne, quid rei sit, recte cernant: etenim multum refert, utrum syllogismus solus, an vero cum omni ejus apparatu exhibeat. Solutio tandem solis convitiis absolvitur, & me, tanquam perfidum, dolosum, fraudulentum, sophistam, nugacem dimittit: sed id dem immodico ejus pro causa Cartesiana zelo; par pari non referam, rem agam, personæ, quam suspicio, & cuius vel minimæ læsionis me poeniteret, parcam; ita me geram ut Philosophum, & præsertim Christianum decet; & si rationibus inferior fuerim, quod deest dictioriis non supplebo.

Ca-

## Caput II.

## S U M M A R I U M.

*Ordo, qui in hisce pertractandis observabitur.* 1. *Ipsa methodus Cartesii ad Spinozismum parat viam.* 2. *Quod varius instantius ostenditur.* 3. *Præsertim e modo demonstrandi existentiam Dei a priori.* 4. *In quo inter Cartesium & Spinozam mirus consensus.* 5. *Clare & distincte percepta esse vera, minime, nisi e Spinozæ principiis, sequitur.* 6. *Uterque etiam eandem agnoscit erroris originem.* 7.

**T**andem ad rem ipsam: in qua pertractanda hunc sequar ordinem. 1. Ostendam eo aurigari Cartesii Methodum, ut commode introducatur Spinozismus. 2. Quasdam primarias Cartesii opiniones Spinozæ errores palam inferre. 3. Argumenta mea, ab unitate substantiæ & necessitate divinarum actionum transeuntium desumpta, denuo propo-nam, urgebo, & ab exceptionibus Vi-

A 5

*Ordo,  
qui in  
hisce per-  
tractan-  
dis obser-  
vabitur.*

## ¶ C A R T E S I U S V E R U S

ri Cl. vindicabo. 4. Multis Cartesii dogmatibus, nisi supponantur Principia Spinozæ, vim demonstrativam inesse nullam, probabo. Quapropter non immrito monuit Cartesius in sua, Meditationibus præfixa, præfatione, quod illi, qui *suarum rationum seriem & nexus comprehenderem non curantes, in singulas tantum clausulas, ut multis in more est argutari studebunt, non magnum ex ejus scripti lectio fructum sint percepturi*; i. e. ad principia & nexus naturalem, qui inter ea & conclusiones reperitur, quam maxime attendum erat. 5. Cartesium sape vafre, dolose, & non secundum rei veritatem fuisse locutum. 6. Tantam quoque inter Cartesium & Spinozam, quantam præ se fert Vir Cl., non esse discordiam.

*¶. Methodus, juxta quam Cartesius suam Philosophiam instituit, recta ad Atheismum ducit; faltem absque ea nullus introduci potuit Spinozismus: quan-*  
*diu enim hæc veritas farta tecta manet, esse Deum omnium rerum veram causam efficientem, resque cunctas alias ab essentia Dei esse distinctas & discretas, quæ semper omnium Christianorum fuit sententia, unum forte vel alterum fanaticum si excipiamus, perniciofa illa sententia,*  
*quod*

## S P I N O Z I M I A R C H I T E C T U S .

quod unica tantum possit esse substantia, plane averruncatur: si vero omnium rerum, nec non ipsius Dei existentia, tanquam falsa seponatur, facilis est ad errores Spinozæ aditus.

Ea tamen methodo usus est Cartesius, & sub specie majoris acquirendæ certitudinis, omnia habuit dubia, nec non pro falsis esse habenda, itatuit. Neque *bus o-*  
*varius rationis*  
*hæc dubitatio se duntaxat, ad res creatandas & contingentes extendit, sed ipsam tur.*  
*quoque Numinis (sententia sane horrenda, abominanda, & nulli Christiano ferenda) existentiam complectitur. Eja!*  
*an res nulla ante enormem istam dubitationem fuit certa? An non vividissimo sensu ante illam dubitationem de existentia sui fuit certus, & majorem per dubitationem acquisivit certitudinem? An ante vixit sine Deo in mundo? An antea nulla fuit allata ratio, quæ certo Dei existentiam demonstret: fuitne ab ipsa mundi creatione e creaturis perspecta & intellecta ejus æterna potentia & divinitas? An voluit Apostolo major videri, gentesque excusare, quod iis non sufficiens fuerit occasio Dei existentiam cognoscendi, & quod Deum, tanquam Deum cognoscentes, non coluerint, & ei gratias*

tias egerint? An Dei veracitas ei nullo modo erat nota, ut ea nixus, quæcunque clare & distincte perciperet, tuto vera affirmaret? An nullius corporis existentiam certo cognoscere potuit, & si circa rerum corporearum habitudines errores quidam subrepserint, quivitne illos non, nisi per universalem dubitationem, emendare? Apparuerit ei turris eminus rotunda, docuerene eum leges Optices, nil de ejus figura pronuncianum esse, donec cominus spectaretur? Inanis igitur & fraudulentus, ad certiorem scientiam acquirendam, est tam vastæ dubitationis prætextus; hæc vero genuina ratio videtur, illum hac methodo cuncta voluisse innovare, & loco veri Dei, ab omnibus Christianis agniti, novum, nobis & patribus nostris ignotum, Deum, vid. unicam illam suam substantiam, invehere.

*iv.*  
*Prefer-*  
*tim e-*  
*modo de-*  
*mon-*  
*strandi*  
*existen-*  
*Dei*  
*a priori.*

Quod ut pressius ostendam, notandum est, in tam vasta dubitatione obranti primum occurtere aliquam cogitationem, ex qua, quam bene vel male nunc non dicam, colligit existentiam sui. Quis non videt, hic ipsi primum occurtere modum, uti vi vocis nativa manifestum est, & ipse fatetur, se tunc nondum

dum scivisse qualis vel quisnam fuerit; per modum igitur commoda sternebatur ad substantiam, cui ille modus inherat, cognoscendam via; quod etiam, immediate transeundo a cognitione sui ipsius ad cognitionem existentiæ Divinæ, haud obscure indicat. Cogitatio illa, ad instar Protei in varias vertebar formas, sive ideas; sed inter illas eminebat una repræsentans ens aliquod summe perfectum, infinitum, potentissimum (quomodo cogitatio omnium veritatum cognitione hactenus vacua hæc discernere & agnoscere potuerit, fateor me fugere: hæc vero transeant cum cæteris erroribus) cujus essentia involvebat necessariam existentiam. Demonstravi in *præfatione meorum Principiorum Philos. Theor.* argumentum inde defumptum esse foedissimum paralogismum, sive potius sophisma, & ejusdem mecum sunt subtilissimi Cartesiani sententiæ: sensu autem Spinozisticō optime concludit, nim. modus ille cogitativus varias subit formas, res varias repræsentantes; sed, quia illæ cum repræsentandi modo nullum certum habent nexus, dubium est utrum vere existant nec ne: hæc vero idea entis infiniti ex eo oritur, quod ille cogitandi mo-

modus, substantiæ unicæ insitus, originem & subjectum suum respiciens & eo se reflectens, ilico coram intuetur substantiam, in suo conceptu necessariam existentiam involventem, & ita de existentia ejus plenissime existit persuasus. Tacite igitur supponit, ex idea cogitationis necessario prodire ideam substantiæ, ceu istius cogitationis subjecti: &, cum substantia sit res, quæ nulla alia re indiget ad existendum, existentia necessaria pertinebit ad ejus essentiam, ac proin Deus erit: unde enim tanta inter ideam mei & Dei necessitudo? Inde nimir., quod ad ideam mei serio attendere nequeam, quin illico mihi obveretur idea, ideae mei, tanquam stabile ejus subjectum, involuta, quæ dicitur substantia; & quoniam secundum Cartesium substantiæ existenti existentia necessaria (nulla enim re indiget ad existendum) tribuenda est, posita substantia, ponitur Deus; & sic argumentum a priori optime concludit. Et hoc referenda videntur, quæ extant *Med. 5.* Non quod mea cogitatio hoc efficiat, sive aliquam necessitatem ulli rei imponat, sed contra quia ipsius rei, nempe existentiæ Dei, necessitas me determinat ad hoc cogitandum. Sane omnes

omnes absurditatum superaret numeros si ab existentia talis rei, de qua adhuc lis est utrum sit, determinaremur ad eam statuendum necessariam, nisi jam supposita fuisset ejusmodi res, cujus essentia, accuratius lustrata, talem a nobis conceptum necessario posceret. Summa igitur demonstrationis huc credit, datur substantia, ergo existit Deus. Cartesium vero hic aliquid supposuisse, iis, quæ habet in *Resp. ad Object. Prim.* manifestum est. Sic ibi: *Nunc autem si queramus non de corpore, sed de re, qualiscunque tandem illa sit, quæ N.B. habeat omnes illas perfectiones quæ simul esse possunt, an existentia inter eas sit numeranda.* Stolidus profecto esset, qui de re, actu omnes perfectiones possidente, negaret existentiam. Sed jam supponitur aliquid, & quidem perfectissimæ naturæ, quod ni fieret, demonstratio prorsus foret inefficax, vanâ, frivola & inepta. Neque id latuit Spinozam: nam quando *Ethic. Part. I. Prop. XI.* ubi dicit *Deus, sive substantia constans infinitis attributis, quorum unumquodque eternam & infinitam essentiam exprimit, necessario existit;* & id a priori demonstrare tentaverat, tandem addit: *posse non existere impotentia est, & contra pos-*

se existere potentia est. (ut per se notum) Si itaque id, quod necessario existit, non nisi entia finita sunt; sunt ergo entia finita potentiora Ente absolute infinito: atque hoc (ut per se notum) absurdum est; ergo vel nihil existit, vel Ens absolute infinitum necessario etiam existit. Atquinos N.B. vel in nobis, vel in alio, quod necessario existit, existimus. (vid. Axiom. 1. & prop. 7.) Ergo Ens absolute infinitum, hoc est (per Defin. 6.) Deus necessario existit. Vide unde desummat Spinoza vim sui argumenti pro existentia Dei a priori allati; hinc nim. quia nos existimus entia finita, ergo vel existimus in nobis ipsis, vel in Deo: non in nobis ipsis, sed in Deo; cum itaque simus entia rationalia, facile colligere possumus, dum inexsistimus enti necessario existenti, tale ens dari debere, de cuius essentia sit existere. Fatetur quidem Spinoza, hanc suam demonstrationem esse a posteriori, sed ideo adhibitam, ut ejus a priori facilius caperetur, & hac constareret, quemad sit vis demonstrativa ejus demonstrationis a priori. Et sane, ex Cartesii hypothesi, Idea Dei in nobis est innata: si igitur mens esset modus unicæ istius substantiæ, ipsa natura substantia involveretur in modo, & sic ille modus ratio-

rationalis in se clare cerneret, ad natu-  
ram istius substantiæ, cuius modus est,  
necessariam pertinere existentiam.

Operæ pretium erit hic ostendisse, v.  
quanta sit inter Cartesii & Spinozæ exi- In quo  
stantiam Dei a priori demonstrandi mo- inter  
dos similitudo. Sic Cartesius Princip. Carte-  
Part. I. Art. 45. Atque ut ex eo quod, ex Spino-  
empli causa, percipiat in idea trianguli no- zamus  
cessario contineri, tres ejus angulos esse æqua- rus est  
les duobus rectis, plane sibi persuadeat trian- consen-  
gulum tres angulos habere æquales duobus re- sus.  
ctis; ita ex eo solo, quod percipiat, existen-  
tiam necessariam & eternam in entis summe  
perfecti idea contineri, plane concludere de-  
bet, ens summe perfectum existere. Ita Spi-  
noza in sua demonstratione propositionis  
xi. Part. I. Ethic. Si negas, concipe, si  
fieri potest, Deum non existere. Ergo (per  
Axiom. 7.) ejus essentia non involvit exi-  
stantiam. Atqui hoc (per proposit. 7.) est  
absurdum: Ergo Deus necessario existit. Fa-  
teor, me saepius omnes ingenii nervos in-  
tendisse, & me obtusi ingenii accusasse,  
quod vim hujus demonstrationis, quam  
quidam Viri axioma nuncupant, non po-  
tuerim percipere. Sed quicquid egerim,  
re infecta semper desistere debui. Vidi  
equidem, necessarium esse subjectum in- ter  
B

## 18 CARTESIUS VERUS

ter & prædicatum nexum; ex solo autem nexo inter prædicatum & subjectum, subjectum non necessario poni & inferri, facile perspexi. Hac de re tamen hic lis est, & an ex eo, quod ens infinite perfectum necessario existat, necessario sequatur, ens infinite perfectum actu necessario dari; quod facile perspexi non magis ex eo inferri, quam ex hac enunciatione, *si æqualia æqualibus addas, quæ inde resultant sunt æqualia*, sequi, actu in rerum natura existere æqualia. Sed secundum Spinozæ principia recte concludit; quoniam illa, id, quod ego volo ut inferatur, jam supponunt, nimis substantiam, cuius existentia ejus modis rationalibus, (mentibus) siquidem nulla res, nisi substantia existat, quæ rerum sit basis & subjectum, existere queat, facillime innotescit; & quoniam substantia nulla re indiget ad existendum, a se erit; & si a se, ergo existentia pertinebit ad ejus essentiam, & ita necessario existere debet. Sed quis, hisce impietatis mysteriis non rite initiatus, perciperet vim hujus demonstrationis? Sed, suppositis hisce principiis, optime procedit demonstratio, & efficacissima est, quæ servatis principiis orthodoxis, vana est & nugacissima: nam nunquam

## SPINOZISM ARCHITECTUS. 19

quam aliquod prædicatum de subjecto demonstrari potest, nisi in anteceßum subjectum supponatur; id verum est, e natura subjecti colligi posse prædicata, sed non ante ipsius subjecti existentiam: ita, supposito ente infinite perfecto, recte concluditur ejus necessaria existentia; sed non, quia ad essentiam infinite perfectam, vel potius ad ejus ideam, pertinet necessaria existentia, ideo essentiam infinite perfectam existere. Nullus mihi hisce nugas, ceu certissimam veritatem, obtrudet: quare, ut dixi, subtiliores Cartesiani hanc demonstrationem, æque ac ego, pro sophismate habent. Quis est, qui existimet, Cartesium adeo fuisse stolidum, ut tam frivolam & enervem demonstrationem proposuerit? Imo vero e Med. v. non obscure colligitur, ipsum supposuisse ens infinite perfectum, & demum ex infinitate perfectionis colle-gisse necessariam existentiam. Nullus igitur mirabitur, Cartesium de vi hujus demonstrationis, quam tamen ipse pro certissima, qua melior ab ingenio humano inveniri nunquam quiret, habebat, tantopere fuisse sollicitum, ut scripserit *Princ. Part. i. Artic. XVI.* *Hoc, inquam, facile credet mens nostra, si se prius omnino præjudiciis*

diciis (vid. Dei essentiam cum aliarum rerum essentiis nil commune habere) liberarit. Sed quia sumus affecti, reliquis omnibus in rebus (ratio sane nugax) essentiam ab existentia distinguere; atque etiam varias ideas rerum, quæ nusquam sunt, aut fuerunt, ad arbitrium effingere, facile continget, cum in entis summe perfecti contemplatione non sumus plane defixi, ut dubitemus, an forte ejus idea una sit ex iis, quas ad arbitrium effinximus, aut saltem, ad quarum essentiam existentia non pertinet. Et rursus Resp. ad Prim. Object. Neque hic diffitebor hoc argumentum tale esse, ut quin non omnium quæ ad ejus probationem faciunt recordabuntur, facile illud pro sophismate sint habituri, & ideo me initio nonnihil dubitasse an illo uti deberem, ne forte iis qui ipsum non caperent occasionem darem de reliquis etiam difidendi. Si ausus fuisset rationem, qua ejus nitebatur demonstratio, nimis. admittendam esse substantiam, & ad ejus naturam pertinere necessariam existentiam, palam proponere, superflua fuisset ejus sollicitudo; cum ex hac hypothesi ejus demonstratio satis sit efficax, & cunctis aperta; sed tunc quoque ejus impieitas, quam tegere semper nisus fuit, non minus fuisset manifesta. Recolligam vero ea,

ea, quæ fusius proposita sunt: post dubitationem reperta fuit cogitatio; illa induit varias formas, etiam talem, quæ repræsentaret ens infinitum; & non mirum; quia tali enti inerat, & erat ipsius entis infiniti modificatio quædam; quapropter fieri non potuit, quin ad subiectum suum attendens ejusmodi ideam, ens infinitum repræsentantem, & de ejus essentia quam clarissime persuadentem, acquirere debuerit: jam ex hac idea necessario conclusit æternam & necessariam ejus essentiæ existentiam; & sic illa idea non immerito vocatur nota artificis suo operi impressa. Summo itaque jure suspicari quimus, hanc fuisse Cartesii mentem, quam ab gravissimas rationes palam profiteri non fuitausus; nec quicquam solidi, & eam falsi convincentis, ex ipso Cartesio posse contra hanc suspicionem produci, certus sum. Sic, post tam enormem dubitationem, loco veri Dei, Deus idealis, substantia infinita, omnium rerum origo, quæ ex ea, ceu causa, naturaliter nascuntur, mundo exhibetur. Justissime Deus ingenii, superbia & arrogantia tumidis, mittit vim erroris, quam mendaciis credant.

Ex cognita Dei natura hanc deducit VI.  
Clare &  
B 3 se-

*distincte* sequelam, omnia, quæ clare & *distincte* *percepta* percipimus, necessario esse vera. Hæc ē-  
esse vera, ius sunt verba Part. I. Princip. Artic. 30.  
minime, nisi e Spinoza Atque hinc sequitur, lumen naturæ, sive  
nozæ cognoscendi facultatem a Deo nobis datam,  
Princi- nullum objectum unquam posse attingere, quod  
piis, se- non sit verum, quatenus ab ipso attingitur,  
guitur. hoc est, quatenus clare & *distincte* percipi-  
tur. Merito enim deceptor esset dicendus, si  
perversam illam ac falso pro vero sumentem  
nobis deditisset. Quæ, obsecro, tam crudæ &  
parum a blasphemia distantis rationis, vi-  
delicit, Deum tum merito vocari posse  
deceptorem, ratio est? An adeo arctus  
est inter divinam essentiam nostrasque i-  
deas nexus? Stauamus, Deum creasse  
substantias rationales, ab essentia sua di-  
stinctas; quid si eæ forment ideas a vero  
alienas, an ideo Dei veracitas veniet in  
discrimen? Possetne codem jure conclu-  
di, quia Deus est perfectissimus, ideo eum  
oportuit homini dare intellectum perfe-  
ctissimum, nullique errori obnoxium?  
Hujus tamen contrarium in ipsis proto-  
plastis verum fuit. Rationem vero, cur  
clara & *distincta* perceptio vera esse de-  
beat, Spinoza dabit clariorem in Scholio  
ad Propos. 43. Ethic. Part. II. His adde,  
quod mens nostra, quatenus res vere percipi-

pit,

*pit*, pars est infiniti Dei intellectus, (per Coroll. propos. 11. hujus) adeoque tam ne-  
cessæ est, ut mentis claræ & *distinctæ* ideæ  
veræ sint, ac Dei ideæ. Hoc corollarium  
propof. 11. ad quod nos remittit, ita se  
habet: *Hinc* sequitur mentem humanam par-  
tem esse intellectus Dei; ac proinde cum dici-  
mus, mentem humanam hoc vel illud percipi-  
pere, nihil aliud dicimus, quam quod Deus,  
non quatenus infinitus est, sed quatenus per  
naturam humanæ mentis explicatur, sive  
quatenus humanæ mentis essentiam constituit,  
hanc, vel illam habet ideam; & cum dici-  
mus Deum hanc, vel illam ideam habere,  
non tantum quatenus naturam humanæ men-  
tis constituit; sed quatenus simul cum mente  
humana alterius rei etiam habet ideam, tum  
dicimus mentem humanam rem ex parte, sive  
inadequate percipere. Hæc ratio Spinozæ,  
juxta hæc principia, plâna est atque effi-  
cax; sed Cartesii inefficax & ridicula,  
nisi iisdem principiis innitatur.

Huic materiae affinis est error, qui ni-  
hil aliud est quam assensus ideis male uni-  
tis præbitus, vel idearum recte unitarum  
debitæ unionis negatio. Rationem, cur  
sæpius in errorem incidamus, hanc redi-  
dit Cartesius Med. 4. Deinde experior in me erroris o-  
quandam esse judicandi facultatem, quam riginem.  
vii. Utique  
etiam c-  
andem  
agnoscit  
primam  
cer-

certe, ut & reliqua omnia quæ in me sunt, a Deo accepi; cumque ille nolit, me falle-re, talem profecto non dedit, ut dum ea re-cte utor, possim unquam errare. Nec ullum de hac re dubium superesset, nisi inde sequi wideretur, me igitur errare nunquam posse; nam si quodcumque in me est, a Deo habeo, nec ullam ille mibi dederit errandi facultatem, non video posse unquam errare. Atque ita prorsus quamdiu de Deo tantum cogito, totusque in eum me converto, nullam erroris aut falsitatis causam deprehendo; sed post-modum ad me reversus experior me tamen in-numeris erroribus esse obnoxium, quorum causam inquirens animadverto non tantum Dei, sive entis summe perfecti realem, & positivam, sed etiam, ut ita loquar, nibili, sive ejus quod ab omni perfectione summe ab-est, negativam quandam ideam mibi obver-sari, & me tanquam medium quid inter De-um & nihil, sive inter summum ens & non ens ita esse constitutum, ut, quatenus a sum-mo ente sum creatus, nihil quidem in me sit, per quod fallar, aut in errorem inducar, sed quatenus etiam quodammodo de nihilo, sive de non ente participo, hoc est quatenus non sum ipse summum ens, desuntque mibi quam plurima, non adeo mirum esse quod fallar. Causa igitur erroris non consistit in qua-dam

dam mentis pravitate, & non ideo pro-clives sumus, si Cartesio fides, in erro-res, quia mens nostra est obnubila, sed quia non est ipse Deus; neque errores nostri proveniunt e perversa mentis no-stræ dispositione, sed e perfectionis es-sentialis defectu. Quæ igitur Adamo præ nobis hac in parte prærogatiya? Sed hæc missa faciam; duntaxat huic rei incum-bam ut, Cartesium & Spinozam hic ea-dem chorda oberrare, demonstrem. Dicit homines errare Spinoza, quia unusquis-que homo duntaxat est singularis modifi-catio cogitationis infinitæ, ac proin tot ideas non habet, quam illa infinita cogita-tio; totum enim plus possidet quam pars ejus. Sic Ethic. Part. II. Propos. 35. Fal-sitas consistit in cognitionis privatione, quam ideæ inadæquate, sive multilata, & confusa in-volvunt. Et in Scholio Propos. 43. Nam quod ad differentiam inter ideam veram & falsum attinet, constat ex Propositione hujus 35. illam ad hanc se habere, ut ens ad non ens. Videmus itaque, & Cartesium, & Spinozam eandem agnoscere erroris & falsitatis originem, & Cartesium huc us-que Spinozæ facem prætulisse.

## Caput III.

## S U M M A R I U M.

*A rationibus probabilibus fit transitus ad argumenta demonstrativa.* i. *Præmittitur tamen adhuc quædam velitatio.* ii. *Cartesius unam duntaxat veram admisit substantiam, quod e simplice substantiæ definitione, a Cartesio datæ, quam clarissime demonstratur.* iii. *Quod luculentius patet ex nova substantiæ definitione, rebus creatis applicanda, priori prorsus contraria.* iv. *Quam effinxit & effingere debuit, ne videretur creaturis plane omnem substantiæ notio- nē denegare.* v. *Quæ tamen nullius pretii est, nec impedit quo minus cogitatio & extensio habeantur modi.* vi. *Et Deo, cœu subiecto, in esse statuantur.* vii.

*i.*  
*Aratio-  
nibus  
probabi-* **G** Ravissimas esse rationes, quæ nobis Cartesium, ob methodum Philoso- phandi, quam instituit, merito de jactis Spi-

Spinozismi fundamentis suspectum red- *libus fit*  
dant, in præcedenti capite quam clarissi- *transitus*  
me ostendi: nunc vero altiora canam, & *ad argu-*  
ideo, secundum ordinem mihi proposi- *menta*  
tum, transeō ad primarias quædam Car- *demon-*  
tesii opiniones enucleandas; has pertra- *strativa.*  
ctando non solum rationes alicujus justæ  
suspicionis, sed & ipsius Spinozismi, in  
iis luculenter reperti, actuque extantis,  
lectori proponam. Seligam itaque duas  
principes, totius Cartesianismi colum-  
nas, nempe cogitationem & extensi-  
onem; quas si demonstravero esse mere  
Spinozisticas, neminem confido adeo re-  
pertum iri impudentem, qui dicat, me  
impudenter Cartesium esse calumnia-  
tum.

Agedum! quid hic valeam experiar. *ii.*  
Ipse vocabulorum sonus, vid. cogitatio *Premit-*  
& extensio, ex usu recepto, receptaque *tur ta-*  
significatione, nobis nil nisi conceptum *men ad-*  
modi alicujus suggerit. An itio, scrip- *buc que-*  
tio, locutio, ambulatio, similesque voces, *dam ve-*  
aliquid aliud quam modos significant?  
An igitur cogitatio & extensio aliud pro-  
pria significatione nobis quam modos in-  
dicabunt? Debetne ille, qui intelligi  
vult, & alios non in errorem inducere,  
secundum usum vulgarem & receptum  
lo-

loqui? Non stetit penes solum Cartesium vim & significationem istarum vocum mutare. Recte Cl. Wittichius *Antispin.* pag. 14. *Neque enim licet, quando de rebus, quæ in rerum natura sunt, agitur, per voces, quibus illæ res vulgo exprimi & significari solent, aliquid aliud quam solent omnes homines ratione utentes, intelligere, nisi quis velit censeri inter illos homines, qui non de rebus, quæ sunt in mundo, sed de sui cerebri figuramentis suaviter Philosophantur, sive delirant.* Ipse Cartesius dicit *Princip. Part. I. Articul. x.* *Atque ubi dixi hanc propositionem, ego cogito, ergo sum, esse omnium primam & certissimam quæ cuilibet ordine philosophanti occurrat, non ideo negavi, quin ante ipsam scire oporteat, quid sit cogitatio.* Utique scivit, omnes per cognitionem & extensionem modos intelligere. Insuper cognitionem & extensionem subjectis inesse, quod omnino modorum est, diserte fatetur. *Resp. ad Obiect. Secund.* Ulterius vero pergit, & non tantum vocat simpliciter mentem cognitionem & corpus extensionem, sed præterea, cognitionem & extensionem duarum istarum rerum naturam, sive essentiam constituere, affirmat. Sic loquitur *Princip. Part. I. Art. 53.* *Nampe exten-*

*ſtensionem longum, latum & profundum, ſubſtantiae corporeæ naturam conſtituit; & co-  
gitatio conſtituit naturam ſubſtantiae cogitan-  
tis.* Ergo ſubſtantia cogitans nil habet ſubſtantiae præter cognitionem; & ſubſtantia extensa nihil habet ſubſtantiae præter extenſionem: quo enim eſſentiæ conſtituunt eo ſolo conſtant. Præterea co-  
gitatio & extenſio ipſi ſunt attributa, fi-  
ve proprietates; & iterum attributa,  
quoad rem ipſam, ei ſunt modi, ut di-  
ſerte loquitur Artic. 56. ergo modi con-  
ſtituunt eſſentiam ſubſtantiae. Egregie  
profecto! Nunc non notabo, quam pa-  
rum accurate hic Philosophetur, quan-  
do dicit, attributum, quod ſemper na-  
tura eſſentia posterius eſt, ejus naturam  
conſtituere; ſed tantum ad id velim ut  
lector attendat, illum idem prorsus cum  
Spinoza ſentire de attributo, quando-  
quidem Spinoza attributum definit. *E-  
thic. Part. I. per attributum intelligo id,*  
*quod intellectus de ſubſtantia percipit, tan-  
quam ejus naturam conſtituens.* Ejusmo-  
di igitur attributa erunt ſubſtantialia,  
& quamvis modi ſint, ubi uſu vene-  
rit, ſupplere poterunt vices ſubſtantiae, e-  
juſque munere fungi. Probavi itaque  
per cognitionem & extenſionem nil,  
niſi

nisi modos nativa vocis significatione intelligi posse.

III. *Cartesi-  
us u-  
nam  
dunta-  
zat ve-  
ram ad-  
misit  
substan-  
tiam,  
quod e  
simplice  
substan-  
tia, a  
Carte-  
sio date,  
quam  
clarissi-  
me de-  
monstra-  
tur.*  
Hac velitatione præmissa, progredior ad validiora argumenta; quorum primum ex exegesi, sive simplici explicazione articuli 51 desumam. Extra dubitationis aleam positum est, Cartesium nihil, præter substantiam & modum, tanquam summa rerum genera admittere. In hoc articulo, quid sit substantia, quid modus, perquirit. Quare ita inchoat: quantum autem ad res, quæ tanquam res vel rerum modos spectamus, opera pretiū est, ut singula seorsim consideremus. In lemmate, margini impresso, hæc extant verba: *quid sit substantia;* & *quod il-  
lud nomen Deo & creaturis non conveniat u-  
nivoce.* In eo igitur hic versatur, ut substantiam & modum quam accuratissime discernat. Id autem melius confidere nequivit, quam exponendo utriusque veram & intimam essentiam; quæ iterum melius, facilius, accuratius, quam per utriusque definitionem, quæ explicatio essentiæ est, cognosci non potuit. Orditur igitur a re præstantiore, nempe substantia, ejusque, ut rite ejus natura & essentia percipiatur, tradit definitionem, & quidem hanc, per substantiam nihil aliud

*liud intelligere possumus, quam rem, quæ ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum.* Substantia igitur vera, genuina, proprie dicta ei non est, quæ nulla re ad existendum simpliciter indiget, sed, quæ aliter concipi nequit, i. e. cujus vera idea & conceptus formalis vel per minimam alicujus rei indigentiam illico destruitur. Sed ubinam in rerum natura talis reperitur res, quæ omnino nulla re ad existendum indigeat? eam monstrabit Cartesius, nim. Deum. Hinc ita pergit, & quidem substantia quæ nulla plane re indigeat, unica tantum potest intelligi, nempe Deus. Deus igitur solus est, qui plane non indiget re quapiam ad existendum, & ei soli veræ, genuinæ, proprie dictæ substantiæ definitio tribui potest, ac proin solus Deus est substantia, & quoad nomine & quoad rem. Attamen & res aliae vocantur substantiæ: id quidem verum est, at longe alio sensu, & non dicuntur substantiæ propter hunc existendi modum, nullius rei indigum, sed simpliciter ob perennem existentiam, in qua perpetuo Dei concurso conservantur; illis igitur non quoad rem ipsam, sed duntaxat nomine tenus hæc competit substantiæ definitio. Itaſe in ſequentibus clare

clare exprimit per particulam adversati-  
vam: alias vero omnes, (inquit) non nisi  
ope concursus Dei existere posse percipimus.  
Clarius adhuc per sequelam, hinc elicitam, se exprimit. *Atque ideo*, (infit) no-  
men substantiae non convenit Deo & illisuni-  
voce, ut dici solet in Scholis, hoc est nulla  
ejus nominis significatio potest distincte intel-  
ligi, quæ Deo & creaturis fit communis.  
Hæc clara & aperta sunt: concludit e  
præmissis, nomen substantiae Deo & crea-  
turis non convenire univoce, i. e. quoad  
nomen & definitionem, sive rem ipsam;  
sed duntaxat *equivoce*, i. e. quoad nomen,  
ob aliquam similitudinem, uti effigies  
hominis dicitur homo hic vel ille, licet  
ei nihil humani insit: dicit enim, non,  
nomen aliquod posse adhibere commune,  
sed, nominis significationem. Clare ita-  
que ex simplici hujus articuli explicatio-  
ne omnibus, qui cæci esse nolunt, vel  
se præjudiciis non occæcarunt, Carte-  
sium duntaxat admittere unicam veram,  
genuinam, proprie dictam substantiam,  
demonstravi; si quis igitur hoc non vi-  
deat, ille videtur mihi ultro velle cæcu-  
tire.

iv.  
*Quod  
luculent.*  
Clarius elucet ex Articulo sequente,  
Cartesium omnes res creatas ab hac sub-  
stan-

stantiae definitione secludere, ubi novam *tius pa-*  
definitionem, quæ cogitationi & exten-*tet ex*  
fioni tribui queat, effinxit. Hanc im-*nova*  
præsentiarum, utrum bona sit an mala, *substan-*  
non examinabo: id solum urgebo; si de-*tie defi-*  
finitio substantiae, artic. 51 proposita, *rebus*  
talis fit, ut omni substantiae, qua sub-*creatris*  
stantiae, conveniat, i. e. ipsius substanc-*applican-*  
tiæ, in se spectatae, non hujus aut illius *da, priori-*  
rei singularis, rite naturam exprimat, *sus con-*  
cur necesse habuerit novam definitionem, *traria.*  
non solum ab hac diversam, sed contra-  
riam, quin ei contradictoriam, quæ co-  
gitationi & extensioni quiret tribui, ef-  
fingere? Utique eadem essentia non ad-  
mittit definitions contrarias, vel con-  
tradictorias. Et, quod bene animadver-  
tendum, quando definitur substantia,  
non definitur res singularis, sed aliquod  
generale, vel abstractum, i. e. talis for-  
matur notio universalis, aut abstracta,  
qua quævis substantia rite queat concipi,  
tanquam præcise substantia, & nihil præ-  
terea. Attamen sic non instituit artic. 51.  
Cum igitur videret, istam definitionem  
rei cogitanti creatæ & rei extensæ neuti-  
quam posse applicari, aliam, videlicet  
hanc, substantiam esse rem solo Dei con-  
cursu indigentem ad existendum, artic.  
C. 52.

52. excogitavit. Luculentissimum sane indicium, quod prior definitio, cuius differentia specifica erat nullius rei ad existendum indigentia, rei cogitanti creatae & rei extensae non conveniat: cui vero definitio non convenit, ei neque convenit definitum. Hanc ob causam res creatas, concursu egentes, ab hac priore definitione substantiae, tanquam nullius rei ad existendum indigae, necessario excludere debuit, siquidem nulla re indigere ad existendum, & concursu indigere ad existendum, si non plane contradictoria, saltem contraria sunt, & in eodem subjecto non possunt collocari; quod etiam non obscure, quamvis teste, per novam definitionem praestitit, atque eis ita verae, genuinæ, proprie dictæ substantiae naturam plane ademit, & solum ejus nomen, ne fraus nimium pelluceret, reliquit superstes. Quis jam non videt, Cartesium unicam duntaxat substantiam, veram, genuinam, proprie dictam, in rerum natura agnoscere, ac proinde, cum praeter substantiam omnes res, ipso fatente, modi sint, cogitationem & extensionem nil nisi modos esse. Q. E. D.

*v.  
Quam effinxit,* Attamen ad hoc inculcandum admundum caute erat procedendum, ne, si pa-

lam

Iam suam sententiam proposuisset, omnes & effiviri honesti ejus Philosophiam fuissent gere debuerat. Scrutatur itaque naturam substantiarum, & qua notione, qua idea ea sit concepienda: quam non, nisi rei, nulla re ad existendum indigentis, conceptu, intelligi posse declarat. Hinc vi istius definitionis, si verba in emphasi, prout sonant, accipiuntur, inferre conatur, unicam tantum esse rem, quæ plane nulla re ad existendum indiget, ac proinde unicam tantum posse esse substantiam. Etenim, si eo non collineavisset, cur non dedisset aliam substantiarum definitionem, quæ simul & Deo, & creaturis tuto tribui quiret? Sic v. c. substantia est res, quæ nullo subjecto ad existendum indiget; vel substantia est res, cui tantum est realitatis, ut existat sine subjecto: nam hoc denuo inculco, hic non considerari res, ceu magis aut minus perfectas, sed solum earum (liceat mihi ad mentem melius exprimendum vocabulum fingere) substantialitatem, & an substantiarum mereantur; nihil praeterea; & an unius praeterius perfectione essentiali major vel minor sit perfectio, hic non venit in censum. Utique Spiritus res est corpore multo nobilior, nemo tamen unquam

C 2

dix-

dixerit, plus esse in Spiritu substantiæ quam in corpore. Sed callidus impostor unius substantiæ fatagens, ejusmodi exhibet ejus definitionem, qua sponte ducamur ad unam tantum statuendam. Ne tamen reliquas omnes e mundo eliminare videatur, solum nomen retinet, illudque quibusdam rebus largiter impertit: cum vero videat, ne quidem nomen, secundum datam definitionem, illis tribui posse, aliam art. 52 excogitat definitionem, sub qua, ceu umbone, illa denominatio tuto delitescat; & sic ex quovis facit quodvis.

**V. I.** *Quæta-  
men nul-  
lius pre-  
tii est, nec  
impedit  
quo mi-  
nus cogi-  
ratio &  
extensio  
exabeantur mo-  
di.*

Habemus hic jam duas substantiæ definitiones sibi invicem plane adversas, quin contradicentes: nam una dicit, substantiam esse illam rem, quæ quadam re, videlicet concursu Divino, eget ad existendum; altera, illam rem esse substantiam, quæ nulla re indiget ad existendum; quam harum eligemus, & pro vera veræ substantiæ habebimus definitio-  
ne? An contradictoria simul possunt esse vera? Estne unum contradictiorium semper verum, alterum falsum? Si itaque una vera sit, altera ut sit falsa, necesse erit. Respondebitur forte, sunt res diversæ plane naturæ. Esto! Quæritur

dc

de his rebus utrum sint substantiæ, nec ne; unde dignoscam? Debetne mihi dari certa nota, certum aliquod signum, unde id mihi innotescat? Quæ est, secundum Cartesium, nota veræ substantiæ, hæc, quod nulla re indigeat ad existendum, nonne? An duæ notæ diversissimæ naturæ unius ejusdemque substantiæ, vel potius substantialitatis, in genere vel abstracto consideratae, dari possunt? Definitionem generis, pluribus speciebus communis, mutare pro diversa & contraria natura cujuscunque speciei, plane ridiculum & ab omniratione alienum est. Definiendum mihi fit ens, tanquam genus commune substantiæ, accidentibus, & modis: an ita instituam, per ens nihil aliud intelligi potest quam id, quod per se existit, ut ita soli substantiæ conveniat & accidenti & modo adversetur? Possentne omnes inde certo concludere, me accidentia & modos prorsus entium catalogo expungere? Si vero postea, ob quasdam rationes, aliam definitionem priori prorsus oppositam cuderem, dicereisque, entia illa, accidentia & modi, sub communi conceptu, quod substantiæ insint, possunt comprehendi, an mihi non potius inter maniacos, quam Philosophos, verari

C 3

fari

sari conveniret? Illico enim mihi id opponeretur, tu vocas entia, quibus pertuam definitionem nomen entis competere non potest. Et si ejusdem rei liceat oppositas formare definitiones, nihil in Philosophia erit certum, tutum, distinctum; sed cuncta incerta, periculosa, confusa. Hæc vero ultima substantiæ definitio Spinozæ errores minime refellit, sed quam amicissime cum iis concordat; quoniam Spinozæ res cogitantes nec non extensas Divinæ essentiæ modificationes statuit, quæ, se exerente illa essentia, & ita concurrente, existunt & conservantur: &, si non in sua impietate propaganda magis candide & generose egisset quam Cartesius, commode hoc sensu eas substantiæ nomine insignivisset; sed scapham scapham vocare voluit, quod etiamnum ejus sectatores & fautores vehementer dolent. Demonstravi itaque satis superque, secundum veram significationem, nomen veræ substantiæ ejusque definitionem rei cogitanti & extensiæ non competere; cui rei vero non convenit veræ substantiæ vera definitio ea res quoque non est vera substantia. Atqui rei cogitanti & extensiæ non convenit veræ substantiæ vera definitio. Ergo res cogitans & extensa non

est

est vera substantia. Vel si quis malit in secunda figura. Omni veræ substantiæ convenit veræ substantiæ vera definitio. Atqui rei cogitanti & extensiæ non convenit veræ substantiæ vera definitio. Ergo res cogitans & extensa non est vera substantia. Major certa est hoc canone Logico, cui convenit definitio ei convenit definitum, & vicissim. Minorem abunde probatam dedi; stat igitur firma & inconcussa conclusio. Si autem non sunt substantiæ, ergo modi tantum. Q. E. D.

Quid jam ex hisce illatis & demonstratis necessario sequitur? Hoc nimirum, cognitionem & extensionem necessario Deo inesse: sunt enim, ut abunde probavisi, quamvis eas suo sensu substantias <sup>VII.</sup>  
*Et Deo,  
ceu sub-  
iecto, in-  
esse statu-  
antur.*

appellet Cartesius, non veræ & proprie dictæ substantiæ, ideoque tantum modi, quia substantia non recipit magis & minus: modi vero est substantiæ inesse tanquam subjecto; nullumque præter Deum assignari potest subjectum. Unumquemque jam rogatum velim, quantum hæc Philosophia, vi & indole principiorum suorum, distet a Spinoza? Hi fructus sunt immensæ istius arrogantiæ, qua non Deum e creaturis, præeuntibus tamen hac methodo nobis Prophetis,

C 4

Apo-

Apostolis, quin Deo ipso, sed creaturas e Deo, ceu effectus per causam, demonstrare ausus fuit: hac de re vero postea.

## Caput I V.

## S U M M A R I U M.

*Quæ hactenus de cogitatione & extensiōne dicta sunt conjunctim, nunc singula seorsum tractanda erunt.* i. *Mentis definitio examinatur.* ii. *Et inde apodictice infertur, mentem esse aliquod mere passivum.* iii. *Huic non obstat quod mens etiam velit; quia voluntas eatenus tantum perhibetur agere, quatenus ad ejus praesentiam aliquid fit.* iv. *Clare id patet ex penitus inspecta voluntatis definitione, a Cartesio proposita.* v. *E collatione quorundam Cartesii satis innotescit, quid ipsi sit activum; qui fraudulenter, & sensu, a vulgaris vocum propria significatione alieno, loquuntur.* vi. *Quod variis instantiis uberioris ostenditur.* vii. *Nulla cogitatio actione transeunte activa esse*

*esse potest.* viii. *Quidam Cartesiani eo ipso, quia essentia mentis consistit in cogitatione, negant mentis activitatem aperte.* ix.

**H**actenus de cogitatione & extensiōne, ut probarem e definitione de *Qua hactenus de cognitiōne & singulis tractabo seorsum, & ostendam, extensiōne utraque harum ita sentire Cartesium, ne dicta ut inde Spinozæ magnam materiæ co-piam, ex qua suam erroneam Philoso-phiam exstruere potuit, suppeditaverit.*

Primum a cogitatione, re nobiliore, *exordiar; quæ, quid sit, non aliunde quam ex ipsa Cartesii definitione, qua ejus es-sentiam exprimit, melius intelligetur.*

Sic Part. i. Princ. Artic. 9. *Cogitationis nomine, intelligo illa omnia, quæ nobis consciis in nobis fiunt; quatenus in nobis eorum natura conscientia est.*

Et ab hac non ablutit altera ejus definitio, proposita Resp. 2. Def. i. *Cogitationis nomine complector illud omne quod sic in nobis est ut ejus immediate conscientiam. Cogitatio igitur nihil aliud erit, quam res varios subiens modos, eosque percipiens, & sciens, se illos percipere: intimum igitur & præcipuum cogitatio-nis*

nis erit conscientia. Id ex ipso Cartesio clarum est, ut patet ex Artic. 9. allegato: *Sed si intelligam de ipso sensu, sive conscientia videndi aut ambulandi, quia tunc refertur ad mentem, quæ sola sentit, sive cogitat &c.* Illa vero conscientia, sive cogitatio menti non ineft, tanquam subiecto; illud diferte negat Cartesius in *Not ad Program. ad Art. 2.* Sed non dixi, (sermo ei fuerat de cogitatione & extensione) attributa illa iis inesse tanquam subiectis a se diversis: carentiumque est, ne per attributum nihil hic aliud intelligamus quam modum: nam quicquid alicui rei a natura tributum esse cognoscimus, sive sit modus qui possit mutari, sive ipsamet istius rei plane immutabilis essentia, id vocamus ejus attributum. Sit attributum, forsan medium aliquod inter substantiam & modum: Cogitatio igitur sola, sive conscientia, totam absolvit mentis essentiam, & præter cogitationem, quæ in mente est ipsa mentis substantia, omnis essentialis perfectio, modorum adventitiorum subiectum, & omnia, nihil in mente, quod ad ejus essentiam pertinet, reperitur.

**III.**  
Et inde apodictice inferre  
Ex data hac mentis definitione certissima consequentia elicio, in mente nihil esse activi, nec esse posse: ceterum sensus, per-

perceptio, conscientia a Cartesio promis- tur, mens  
tue sumuntur; sensumque ac perceptio- tem esse  
nem esse illi mere aliquid passivi, unicui- aliquod  
que, qui scripta ejus legit, notum est; mere  
conscientia autem ad intellectum perti- passi-  
net, quin est ipse intellectus, quia intellectus nihil aliud est quam rerum oblatum  
rum perceptio, quæ nequit esse rationa- vum.  
lis perceptio, quin per suam naturam sui  
sit conscientia & percipiat se percipere.  
Quid vero opus est verbis, ubi ipsius au-  
thoris adest testimonium. Ita ille deserit  
Part. Epist. 1. Epist. 115. Nullam aliam  
differentiam statuo inter animam & ejus  
ideas, quam inter frustum cere & diversas  
figuras quarum frustum illud capax est: &  
quemadmodum diversas figuras recipere, non  
est in cera actio proprie, sed passio; ita mihi  
videtur passio etiam esse in anima, quod  
hanc, vel illam ideam recipiat, & N. B.  
præter volitiones nullas esse ipsius actiones existimo. Quibus vero fidiculis ex mera co-  
gitatione, quæ, & ipso fatente, merum  
est aliquod passivum (nam præter voli-  
tiones nullas in anima agnoscit actiones)  
elicet voluntatem. An in re, cuius es-  
sentia sola constat cogitatione, i. e. con-  
scientia, potest locum habere activa fa-  
cultas se pro beneplacito determinandi?  
Uti-

Utique omnes facultates sequuntur naturam sui subjecti: neque activa facultas commodius in subjecto passivo, quam ignis in aqua hospitari potest. Ipsa cogitatio, quoad essentiam, passiva est; unde & qua vi se ad agendum evehet? Propria sua natura? nequit, passiva est, & omni agendi facultate caret. Quam autem egregie hunc nodum solverit ipse Cartesius operae pretium erit videre. Epist. 110. Part. 1. ita scribit: *Quod vero infers, si natura hominis tota consistat in cogitando; ergo illum non habere voluntatem; consequentiam non bene affequor; etenim velle, intelligere, imaginari, sentire &c. Sunt tantum diversi modi cogitandi, qui omnes ad animam pertinent. Quis non videt hic Cartesio haerere aquam, atque illum turpiter principium petendo vim consequentiae dissimulare. Illi objectum erat, si natura mentis consistat in cogitando, eam non habere voluntatem. Quid respondet, an ostendit, id omnino e natura cogitationis sequi, vel ei non adversari? Minime gentium: solummodo dicit, velle, intelligere, imaginari, sentire &c. sunt tantum diversi modi cogitandi, qui omnes ad animam pertinent. Ille non erat controversiae status, sed hic, utrum res,*

cu-

cujus tota essentia sola cogitatione circumscribitur, velle queat. Id debuisse ostendi, non simpliciter absque ulla addita ratione affirmari; quænam non posse statui & defendi, si solum dixisse sufficeret? Sic autem saepius solitus est efficacissima argumenta, quibus solvendis pars non erat, quodam quasi contemptu præterire. Faciam igitur ut consequentia, & quidem certissima, appareat, quapropter ita instituo: Omnis res mere passiva non potest ex se producere aliquod activum, i.e. non potest velle. Atqui res, cuius essentia in sola cogitatione consistit, est mere passiva. Ergo res, cuius essentia in sola cogitatione consistit, nequit ex se producere aliquod activum, i.e. non potest velle. Major tam certa & evidens est, ut ne quidem ipsa impudentia eam negare ausit: eo enim in casu effectus sua causa foret major & præstantior. Minor igitur probanda erit, quod hoc præstabo syllogismo. Omnis res, cuius essentia consistit in sola conscientia, illa est mere passiva. Atqui res, cuius essentia consistit in sola cogitatione, consistit in sola conscientia. Ergo res, cuius essentia consistit in sola cogitatione, est mere passiva. Majorem hujus ita confirmo.

mo. Quodcunque consistit in mere passivo, id ipsum est mere passivum. Quod consistit in conscientia sola, id consistit in mere passivo. Ergo quod consistit in sola conscientia, est mere passivum. Major hic extra controversiam est; ad minorem aliquid dicendum erit, videlicet quod illa res, cuius essentia consistit in sola conscientia, consistat in quadam mere passivo; quod facile patet, quia conscientium esse, percipere, sentire unum & idem sunt. Et quid multis opus est, ipse Cartesius hic mihi testis erit, *Part. i. de Passion. Artic. 19.* *Et quamvis respectu nostrae animae sit actio aliquid velle, potest etiam in illa dici esse passionem percipere quod velit.* Attamen quia hæc perceptio & hæc voluntas revera idem sunt; *denominatio semper fit ab eo quod nobilius est;* & sic non sollet appellari passio, sed solummodo actio. Hic dicit tortidem verbis, perceptionem, si-  
ve conscientiam, esse passionem, & ipsam voluntatem non esse absque passione, quia ei adest perceptio. Plura ad hæc verba notanda sunt, de quibus mox: sufficit mihi impræsentiarum ex ipso Cartesio ostendisse, conscientiam esse meram passionem, ac proinde, quod consistit in sola conscientia, consistere in quo-

quodam mere passivo: nunc restat probanda adhuc minor præcedentis syllogismi, quæ hæc fuit; res, quæ, sive cuius essentia, consistit in sola cogitatione, consistit in sola conscientia, quam ita adstruo: Quod per conscientiam definitur, in sola consistit conscientia. Atqui cogitatio per conscientiam definitur. Ergo cogitatio consistit in sola conscientia. Major certa est, quoniam definitio est explicatio essentiæ. Minor patet ex ipsa cogitationis definitione. Et quid, obsecro, secundum Cartesium in mente fixum, stabile & perenne reperitur, præter solam conscientiam? Quicquid præterea in mente existit fluxum eit & transitorium; modo intelligit, modo vult, imaginatur, sentit; hi tantum adventitii modi sunt, quorum unus alterum excipit; conscientia vero manet eadem & sibi similis.

Sed in hoc articulo videtur Cartesius cum se ipso committendus: dicit enim, hanc perceptionem & hanc voluntatem esse revera idem; An igitur inter perceptionem & voluntatem nullum plane existit discrimen? Quod si statuat, aperte in castra Spinozæ transit. Ita ille *Ethic. Part. ii. Coroll.* *Propos. 49. Voluntas, & intellectus unum & eantibus idem sunt:* Quod ita demonstrat: *Voluntas, tantum & in-*

*non ob-  
stat quod  
mens eti-  
am velit,  
quia vo-  
luntas  
eantibus  
& in-*

perhibe- & intellectus nihil praeter ipsas singulares vo-  
 tur age- litiones, & ideas sunt (per Propof. 48. hu-  
 re, qua- jus & ejusdem Schol.) At singularis idea,  
 tenus ad ejusprae- & volitio (per Propof. præced.) unum,  
 sentiam & idem sunt. Dixerat tamen Cartesius  
 aliquid Princip. Part. I. Artic. 64. cogitandi mo-  
 dos ab ipsa substantia, cuius modi sunt, mo-  
 daliter distingui; hæc ejus verba sunt:  
*Cogitatio & extensio, sumi etiam possunt pro-  
 modis substantiae; quatenus scilicet una &  
 eadem mens plures diversas cogitationes ha-  
 bere potest;* ----- *Tuncque modaliter a sub-  
 stantia distinguuntur, & non minus clare ac  
 distincte quam ipsa possunt intelligi.* Si cogita-  
 tiones ab ipso subjecto, cui insunt,  
 modaliter distingui queant, multo magis  
 a se invicem, siquidem una absque altera  
 clare & distincte concipi, quin exister-  
 re, possit, & tunc inter illas intercedit  
 distinctio realis. An singulæ ideæ per pro-  
 priam formam non sunt distinctæ? An  
 actio & passio sunt unum & idem? Vo-  
 luntas & perceptio an prorsus idem  
 mentis modus? Et hic non agitur de ipsa re  
 intelligente & volente, sed de modis,  
 quibus illa res se exerit. An discrimen in-  
 ter voluntatem & perceptionem a solo  
 penderet considerandi modo? Sic frater-  
 ne Spinozæ dextram porrigeret. Et pro-  
 fecto

fecto solum considerandi modo vario can-  
 dem cogitationem, quicquid etiam alibi  
 contrarium docuerit, vel docuisse visus  
 fuerit, modo activam, sive voluntatem,  
 modo passivam, sive perceptionem nun-  
 cupari, ad hunc articulum recte atten-  
 denti clarum erit: nempe quatenus una  
 eademque cogitatio erit occasio, vel cau-  
 sa fine qua non, ut aliquid fiat, erit acti-  
 va & voluntas; & quatenus sui consilia  
 est, erit perceptio & passiva. Quod ut in  
 aperta ponatur luce, inspiciamus Episto-  
 lam Part. I. 86. in qua ita diserte scribit:  
*Quæ ait de actione & passione nullam mihi  
 videntur habere difficultatem, modo illa no-  
 mina recte intelligentur: nempe, in rebus  
 corporeis omnis actio & passio in solo motu lo-  
 cali consistunt, & quidem actio vocatur, cum  
 motus ille consideratur in movente, passio  
 vero cum consideratur in moto. Unde se-  
 quitur etiam, cum illa nomina ad res imma-  
 teriales extenduntur, aliquid etiam motui a-  
 nalogum in illis esse considerandum; & actionem  
 dicendam esse, quæ se habet ex parte  
 motoris, qualis est volitio in mente; passio-  
 nem vero ex parte moti, ut intellectio & vi-  
 sio in eadem mente. Nimirum, quatenus  
 corpus per motum aliud afficit, dicitur  
 agere; sed quatenus ipsum per motum  
 affe-*

30 C A R T E S I U S V E R U S

affectum est, dicitur pati: Sic quoque quotiescumque menti erit cogitatio, qua, vel potius cuius occasione, aliquid fit, vocabitur voluntas: at quando mens spectatur ipsa ista cogitatione affecta, sive ejus conscientia, perceptio erit.

v. Clare id cum magno molimine demonstrare coparet ex penitus inspecta libertatis definitio ne, a Cartesio proposita. Littus itaque forsan hactenus aravi, natus fui, cogitationem Cartesianam voluntatis non esse capacem, quoniam ille & ego per illud vocabulum non intelligimus rem eandem. Profecto nihil magis ad fallendum compositum est, quam per eandem vocem intelligere aliud quid, quam illa vulgo & ex usu recepto significat. Ego per voluntatem intelligo veram mentis, se ipsam ex insita potestate determinantis, actionem: Illividetur voluntatis nomine venire ejusmodi cogitandi modum, cuius occasione aliquid fit, quamvis veram & proprie dictam mentis actionem non supponat. Et hoc respectu recte respondit Viro objicienti, si hominis natura consistat in cogitando, illum non habere voluntatem, se consequentiam non recte assiequi; quandoquidem velle, intelligere, imaginari, sentire &c. diversitantur sunt modi cogitandi, (vel potius, ut ex ante allegato Passion. Part. i.

Ar-

S P I N O Z I M I A R C H I T E C T U S . 51

Articulo 19. colligi potest, idem, quod diversis modis potest considerari) qui omnes ad animam pertinent. Quod ut melius pateat, operae pretium erit penitus examinare jejunam istam, nullamque veram efficaciam activitatemque redolentem definitionem, quam de voluntate Med. 4. proponit. Grandia & magnifica ibi praefatus erat de voluntate, fere ac si de altero Deo esset acturus, parturirent vero montes & natus fuit ridiculus mus, totaque illa formosa mulier in piscem desuit: *Tantum* (nim. voluntas) *in eo consistit* (inquit) *quod idem vel facere, vel non facere* (*hoc est affirmare vel negare, prosequi vel fugere*) *possimus, vel potius in eo tantum quod ad id quod nobis ab intellectu proponitur affirmandum vel negandum, sive prosequendum vel fugiendum, ita feramur, ut a nulla vi externa nos ad id determinari sentiamus*. Et, quod hic notandum, hic quidem ipsius Dei voluntas, ut ex orationis filo clarum est, exprimitur; faltem omnis voluntas, & quæ Deo, & quæ creaturis competit, simul sub hac definitione, comprehenditur. Quid autem est in hac voluntatis definitio ne, quod non prorsus in rem suam verat Spinoza? Audiamus quoque illum

D 2

Part.

*Part. i. Defin. 7.* *Eares libera dicetur, quæ ex sola suæ naturæ necessitate existit, & a se sola ad agendum determinatur.* Negabit Cartesius, qui ab hac phrasí, quod Deus posset dici causa sui, non abhorret, eum sola suæ naturæ necessitate existere? Quod fertur ad affirmandum vel negandum, quod ab intellectu proponitur, ut a nulla vi externa se ad id determinari sentiat, næ! id a se solo ad agendum determinatur. Sed aggredior ipsam definitionem. Primum vela dederat, ea que quodammodo expanderat, quando dixit, *quod idem facere vel non facere possimus.* Nullius tamen facultatis activæ hic mentio; & jam nimium erat largitus; vela erant igitur parum contrahenda propiore istius dicti explicacione: *hoc est affirmare vel negare, prosequi vel fugere.* Quoad affirmationem & negationem non dissentit Spinoza. *Ethic. Part. II. Prop. 49.* *In mente nulla datur volitio, sive affirmatio, & negatio, præter illam, quam idea, quatenus idea est, involvit.* Sed & hoc nimium fuit Cartesio; vela erant retrorsum danda, &, ac si eminus adventantem procellam conspexisset, penitus contrahenda. *Vel potius in eo tantum quod ad id quod nobis ab intellectu proponitur affirmandum vel negandum,*

sive

*sive prosequendum vel fugiendum, ita feramur, ut a nulla vi externa nos ad id determinari sentiamus.* Agmen tandem claudit passivum illud ferri, & absentia sensus determinationis externæ. En egregiam voluntatem! Potestas activa se determinandi pro lubitu, vel agendi, quod lubet, arctissimis passivæ lationis, vel absentia sensus determinationis externæ plane circumscribitur cancellis. Quanta Spinozisticæ fraudis mysteria sub hac definitione non quirent latere. Audiamus ipsum Spinozam hac de re differentem Epist. 62. *Cum præterea addit, quod causæ, cur animum ad scribendum applicuerit, ipsum quidem ad scribendum impulerint, non vero coegerint, nihil aliud significat, (si rem aequo pondere examinare volis) quam quod ipsius animus ita tunc erat constitutus, ut causæ, quæ ipsum alias; cum scilicet magno aliquo affectu conflictatur, non potuissent, nunc facile potuerunt infletere, hoc est, causæ, quæ ipsum alias non potuerunt cogere, coegerunt jam non ut invitus scriberet, sed ut necessario scribendi esset cupidus.* Ecce! hic aliquis ultra impellitur ad scribendum, i. e. fertur, nec tamen sentit, se ab ulla causa externa ad scribendum determinari; (*est enim scribendi cupidus*) cum tamen fati

D 3

ne-

necessitate ad scribendum adigatur. Hæc duo, nimir. ferri, & non sentire vim externam determinantem, & inevitabili necessitate simul impelli, quincogi, si Spinozæ fides habenda sit, una consistere queunt; neque video, quî Cartesius Spinozam ex sua definitione voluntatis, libertatisque redarguere aut refutare quiret. Sed nec dum finis; magis adhuc decurtanda voluntas: ingruit tempestas; non solum verla retrosum danda & contrahenda sunt, sed & ipse malus est amputandus. Etenim hæc verba subjungit: *Neque enim opus est ut in utramque partem ferri possem ut sim liber &c.* Hisce voluntati & libertati adimit indifferentiam. Quomodo hæc ultima convenient primis? Ibi dixerat, in eo consistere naturam voluntatis ut idem possimus facere & non facere; hic aperte negat, id ad naturam voluntatis pertinere; & sic prorsus evertit, quod ante posuerat: nam idem posse facere & non facere, an non ponit indifferentiam, & ferri posse in utramque partem? Dicit indifferentiam esse infimum libertatis gradum; ego e contra dico, esse summum, & quo quid est magis indifferentia, eo magis esse sui juris. Et revera radix omnis libertatis & voluntatis est indifferentia, licet

licet ea, se per rationem, ad certa objecta, certaque circumstantias relatam, in suo exercitio necessario ad aliquid determinet. Confidero hic voluntatem in se, non voluntatem humanam, ad Dei decretum relatam; quamvis nec illud radicalem ejus tollat indifferentiam; sed duntaxat ejus exercitium modo ei conveniente ita dirigit & gubernat, ut necessario juxta Dei propositum agat, ei que nunquam adversari possit. Sane, tali quid non est commendandum, quo longius a perniciofa Pelagianorum, Jesuitarum & Remonstrantium sententia recedere videamur, & eo ipso tamen Spinozæ cassibus irretiamur infici & inculti.

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,  
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

Quanta igitur alibi de voluntate praedita, quantopere eam celebret, nullius momenti sunt: nam vel fibi aperte contradicit, vel verba adhibet, per quæ non intelligit, quod ex usu vulgari significant: quid enim in ejus definitione, de voluntate data, continetur, quod non commode ad instinctum aliquem naturalem creaturæ rationalis trahi posset? Certo, cum investiganda est alicujus Autho-

## 56 CARTESIUS VERUS

ris sententia, non tam ad verba ejus, hic & alibi extantia, quam quidem ad definitionem, qua ex professo rei essentia explicatur, & ad quam, ceu demonstrationis Principium recurritur, attendum.

*vii.*  
*E colla-*  
*tione*  
*quorun-*  
*dam*  
*Cartosi*  
*satis in-*  
*sensu*  
*notescit*  
*quid ipsi*  
*sit acti-*  
*sentiat cum paucis,*  
*eiusque loquendi mo-*  
*vum &*  
*dus ad fallendum*  
*fit compositus.*  
*Ne quis*  
*qui stran-*  
*me mutilati,*  
*vel detruncati*  
*sensus accu-*  
*dulenter,*  
*set,*  
*loca integra exhibebo.*  
*Ita scribit*  
*a vulga-*  
*Part. I. Pass. Artic. 17.*  
*Postquam confide-*  
*rivocum ravimus omnes functiones que pertinent ad propria solum corpus, facile est cognoscere nihil in significatio nobis restare quod debeamus tribuere animæ tione ali- nostræ, exceptis nostris cogitationibus, que eno, lo- præcipue dulim, sunt generum; quædam enim sunt Actiones animæ, aliae ejus passio- nes five Affectus. Quas ejus Actiones voco, sunt omnes nostræ voluntates, quia experimur eas directe venire ab anima nostra, & videntur ab illa sola pendere. Sicut e contra- rio possunt in genere vocari ejus Passiones,*

om-

## SPINOZISMUS ARCHITECTUS. 57

omnes species perceptionum five cogitationum quæ in nobis reperiuntur; quia sœpe accidit ut anima nostra eas tales non faciat quales sunt, & eas semper recipiat ex rebus per illas repræsentatis. Cum hoc loco nunc conserbam ea, quæ habet in Notis ad Programma ad ejus Articulum 13. Ibi sic. *Egregiam vero consequentiam in articulo 13. ex præcedenti dedit;* Ideo, inquit (quod mens, scilicet, non indigeat ideis innatis, sed sola facultas cogitandi ei sufficiat) omnes communes notiones menti insculptæ ex rerum observatione, vel traditione originem ducunt: tanquam, si facultas cogitandi nihil posset per se præstare, nihilque unquam percipiat vel cogitet, nisi quod accipit a rerum observatione vel traditione, hoc est, a sensibus. Quod adeo falsum est, ut e contra, quisquis recte adverit, quousque sensus nostri se extendant, & quidnam sit præcisè, quod ab illis ad nostram cogitandi facultatem potest pervenire, debeat fateri, nullarum rerum ideas, quales eas cogitatione formamus, nobis ab illis exhiberi: adeo ut nihil sit in nostris ideis, quod menti five cogitandi facultati, non fuerit innatum, solis iis circumstantiis exceptis, quæ ad experientiam spettant, nempe quod judicemus, has vel illas ideas, quas nunc habemus cogitationi nostræ præsentes, ad res

D 5 quaf-

## 58 · C A R T E S I U S V E R U S

*quasdam extra nos positas referri, non, quia istae, res illas ipsas nostræ menti per organa sensuum immiserunt; sed, quia tamen aliquid immiserunt, quod ei dedit occasionem ad ipsas, per innatam sibi facultatem, hoc tempore potius, quam alio, efformandas. Quippe nihil ab objectis externis ad mentem nostram per organa sensuum accedit, præter motus quosdam corporeos, ut ipsemet auctor noster in art. 19. ex meis principiis affirmat; sed ne quidem ipsi motus, nec figuræ ex iis ortæ, a nobis concipiuntur, quales in organis sensuum fiunt, ut fuse in Dioptrica explicui; unde sequitur, ipsas motum & figurarum ideas nobis esse innatas. Ac tanto magis innatae esse debent ideæ doloris, colorum, sonorum, & similium, ut mens nostra possit occasione quorundam motuum corporeorum, sibi eas exhibere: nullam enim similitudinem cum motibus corporeis habent.*

VII.  
Quod variis instantiis uberi-  
us esten-  
ditur. Notabo hic sequentia. 1. Cartesium dicere in Notis ad Programma, nihil esse in ideis nostris, quod menti non sit innatum; & tamen in Articulo 17. Part. 1. Pass. saepe accidere ut anima nostra eas tales non faciat, quales sunt, & semper eas recipere ex rebus per illas repræsentatis. Quomodo hæc cohærent, nihil esse in nostris ideis, quod menti non sit innatum, & tamen ani-

## S P I N O Z I M I A R C H I T E C T U S. 59

animam eas, quales sunt, recipere ex rebus, i. e. objectis externis, per illas repræsentatis? Inprimis si attendamus ad hæc verba, nihil ab objectis externis ad mentem nostram per organa sensuum accedere, præter motus quosdam corporeos; imo ne quidem motus corporeos, nec figuræ ex iis ortas, a nobis tales concipi, quales in organis sensuum fiunt; indeque sequi ipsas motuum & figurarum ideas nobis esse innatas. Quid vero per ideas innatas intelligat, in Article 12. in Notis ad Programma declarat; nim. tale quid, quod non ab objectis externis, nec a voluntatis determinatione, sed a sola cogitandi facultate (aliquod sponte ortum) procedit. 2. Mera illum verba dedisse, distingiendo ideas in innatas, adventitias & factas; cum revera cunctæ sint innatae; illamque duntaxat esse inter innatas & adventitias differentiam, quod ad contemplationem innatarum non requiratur occasio quædam extrinsecus accedens; quæ vero, facta ejusmodi occasione, ob nexus aliquem (qui qualis fit, optime Spinoza explicabit) a naturæ auctore constitutum, tum demum sponte in theatrum profiliunt (forte cum imperio quodam) seseque menti conspicendas exhibent, vocantur adventitiae. An unquam

## 66. C A R T E S I U S V E R U S.

quam ullus e tremula fanaticorum familia somniavit insaniora? 3. Ipsum plane ludere in vocibus, earumque vero & genuino abuti significatu, quando dicit mentem formare cogitando ideas, quæ vox proprie activum aliquod sonat; cum tamen ideas omnes reapse statuat innatas; & cogitare, secundum definitionem cogitationis ab eo datam, non sit ideas formare, sed existentium esse consciūm; quæ duo multum differunt. 4. Discrimen Actionis & Passionis in eo consistere, quod actio sit talis cogitandi modus, qui directe ab anima procedit sine occasionis externæ indigentia: e contra passio est ejusmodi cogitandi modus, qui ut secundum naturæ ordinem existat, requirit occasionem externam. Solus itaque versus oriendi modus actionem distinguet a passione. Sed ne sim nimis præceps, clarius se exponet Articulo 18. *Pass. Rursum* (inquit ibi) *nostræ voluntates sunt duplices*. Nam quædam sunt actiones animæ, quæ in ipsa anima terminantur; sicuti cum volumus Deum amare, aut in genere applicare cogitationem alicui objecto quod non est materiale: Aliæ sunt actiones quæ terminantur ad ipsum corpus; ut cum ex eo solo quod habemus ambulandi voluntatem, fit ut

no-

## S P I N O Z I S M I A R C H I T E C T U S. 67

*nostra crura moveantur & progrediamur*. Hic igitur secundum Cartesum genuinam habemus rationem, ob quam voluntas activa sit habenda; videlicet quia post eam aliquod sequitur, & existere incipit; & sic ea coincidit cum illa, quam Part. i. Epist. 86. proposuit, ad quam ante late respondi: neque ipse, nec ullus genuinus Cartesianus unquam confitebitur, motus corporeos esse propriæ dictum voluntatis effectum ab ea vera activitate, effectum suum physice attingente, productum; sed tantum existere vi nexus a Deo inter voluntatem motusque corporeos constituti. Non illud ideo meretur propriæ vocari activum, & vera causa efficiens, ad cuius præsentiam aliud quid sequitur, vel ad alicujus productionem requiritur; ast itud, quod propria virtute, veraque activitate aliquid producit: ostendatur, Cartesum eo significatu cogitationem suorum cogitandi modorum nuncupavisse causam efficientem. Evidem scio, hodie causæ efficientis notionem, utpote eorum sensu, & principium, & instrumentum, & conditionem sine qua non, & causam moralem, similiaque sub se comprehendentem, tam late extendi & ultra nativæ significationis vires expandi,

di, ut vim aliquid veri & certi significandi prorsus amiserit. Mera igitur fraus & fallacia est aliquid vocare activum, causam efficientem, nisi prius istam notionem in integrum restituerit, eique solum suum genuinum significatum reddiderit atque vendicaverit.

**viii.** *Nulla cogitatio actione transente aeterna esse potest.* Si cum cogitatione in una sede non moratur vera & activa voluntas, ut quam luculentissime demonstravi, multo minus ei congruet actio transiens: cui enim minus non competit, ei neque competit majus. Quid vero hisce immorarer, quandoquidem omnes genuini Cartesiani id ultro concedunt, & omnes motus corporeos, non ab animæ quadam virtute, vere corpora afficiente, sed a solo nexu a Deo inter voluntatem & motus immutabiliter constituto, arcessunt, & ego hisce meis auribus insignem Cartesianum hæc dicentem audivi, animæ nostræ per se & ex sua natura plus potestatis non esse in suum corpus quam in Solem. Quam lubentissime tamen retinent nomen actionis mentis in corpus, ne videantur quotidianæ experientiæ, sensuique communi contradicere, æger-rimeque ferunt sibi exprobrari, quod ex eorum sententia omnimoda animæ sequatur

tur inefficacia. Mera vero impostura est alicui nomen tribuere, cui rem significatam eo nomine denegas, & ea uti locutione, qua per ejus receptam significacionem loquens in audiente excitat plane diversum de re conceptum ab eo, quem ipse de ea habet: & si vocasse sufficiat, nihil mali de ipso Spinoza erit suspicandum, qui etiam nomen causæ efficientis non reformidat. Videant interea illi, qui magni & tremendi Numinis essentiam hac jejuna, tenui & frigida perfectissimæ cogitationis notione circumscribere non verentur, ne in infinitam ejus perfectionem sint injuriæ: quasi illud perfectissimum, quod cogitationi addunt, infinitam & omnimodam in Deo ponat perfectionem, & non ad suum subiectum (cogitationem) sit restringendum, & ullum prædicatum subjecti sui naturam excedere queat. Ea est cogitatio perfectissima, quæ omnium in se existentium simul unico actu conscientia est; nullas alias præterea infert perfectiones. Quare ferio, imo ferio, tales hortor & moneo, ne tali modo pro vero Deo incauti invehant in orbem chimæram aliquam Spinozisticam inertem & omni actioni transcendi inhabilem: ultro enim fa-

tentur, mentem per se ad actionem transfeuntem esse impotentem, nullamque per ejus voluntatem futuram, nisi Deus talem eam inter & motus corporeos fecisset nexum. Mens igitur sua natura ad omnem actionem transfeuntem inepta. Ecquid? Quia cogitatio est: ergo adversatur naturae cogitationis agere actione tranfeunte. Sit Deus cogitatio infinita; illa infinitas ultra cogitationem non est extendenda, neque naturam sui subjecti (cogitationis) mutat, (i. e. id non potest praestare, ut ea, quae cogitatio, qua cogitatio, natura sua respuit, ei congruere & convenire queant) sed tantum ampliat, i. e. id efficit ut quæcunque alicujus cogitationis objecta esse possunt, ad istam cogitationem pertinuant, eorumque ea sit conscientia; præterea nihil quicquam. Cartesius statuit extensionem infinitam, num illa infinitas tribuit extensioni facultatem cogitandi? Non potest dices, quia ipsa natura extensionis, eo ipso, quia extensa est, cogitationis nullius capax est. Viden' infinitum non posse subjecti sui naturam mutare, sed duntaxat id, quod ad istius naturam, qua talem, pertinet, reddere quam amplissimum. Sic itaque ego info;

nulla cogitatio, eo ipso, quia cogitatio est, potest agere actione transfeunte: ergo nec infinita; quia infinitas cogitationis naturam non aufert aut mutat, sed duntaxat quam amplissimum reddit. Et si per naturam cogitationis infinitæ liceret circa cuncta agere actione transfeunte, quidni possibile esset cogitationi finitæ & limitatae circa quædam, vel paucissima, vel unum, agere transfeunte actione? quænam hic difficultas, quænam absurditas? Invictis itaque argumentis, ex illa sententia, quam Cartesius de mente sola cogitatione fovet, necessario sequi, quod illi, neque veræ actiones immanentes, neque transfeuntes, tribui queant, demonstravi: & ex hisce, num talia docuerit, quæ Spinoza commode in rem suam vertere queat, & ejusmodi jecerit fundamenta, quibus errores suos superstruat; unusquisque, extra partes constitutus, judicet.

Coronidis loco addam, quod jam a multis annis Viri Docti, Cordati, Perspicaces præfagiverint, Cartesianismum tandem in Quietismum evasurum: quod vero non falsi fuerint haruspices, ipsa comprobavit experientia; cum non pauci ex ista Secta Viri, & quidem sagaci-

ix.

Quidam

Carte-

siani eo

ipso, quia

essentia

mentis

conficit

E

res,

*in cogitatione, negant mentis acti vi-*  
*tatem aper-*  
*tes, alii apertius, alii tectius, ad istum errorem delapsi sint, atque propagare satagant. Animadversione dignum est, quod narrat Cl. Guseletius *Causarum Pri-**

*mæ & Secundarum &c. de Doctissimo Forgio insigni & erudito Cartesiano; videlicet, illum propter cogitationem ipsam mentem ei denegasse potentiam transfeundi ab una cogitatione ad aliam, atque necesse esse ut agens a mente differens ei novam cogitationem sifstat præsentem. Sic in lemmate ad §. 7. In eo ne-*

*gat ille potentiam inhaerentem menti ad novas cogitationes formandas, argumento ducto ex ipsa definitione mentis, scil. rei cogitantis. Et quamvis hic Vir causam Cartesianam agat, non tamen acquiescit in voce cogitationis, utpote ambigua & errandi ansam præbente, ut clare indicat §. 26. Videlicet sic se res habet. Legitime ac ordine evolvendo attributa Menti nobis cognita, unum quoddam primum ipso actu percipimus, quod cogitationis nomine vocavit Cartesius, idque ambigue, ut ipse confitetur & admonet, penuria commodioris. Ego vero lubens, equivocationem vitaturus, ei finxerim nomen Cogitantiæ deductum a cogitando &c. Ubinam hoc Cartesii monitum extet, se ob penuriam commodioris vocabuli men-*

tem

tem cogitationis nomine insignivisse, non memini; hoc scio, ipsum fateri consulito factum. *Resp. ad Objet. 3. Fateor autem ultro me ad rem, sive substantiam, quam volebam exuere omnibus iis quæ ad ipsam non pertinent, significandam, usum fuisse verbis quam maxime potui abstractis.* Non adeo spolianda est omnibus substantia ut dignosci nequeat, neque abstracta nativa facies ut sub modi specie compareat. Hoc igitur patet, Virum, cæteroquin Cartesianum, mentis per cogitationem definitione offendi, eamque mutatam optare: expertus enim est, multos ea ad gravissimos errores esse adductos. Finem hisce imponam ejusdem Viri verbis, notatu dignissimis §. 59. *At interea tamen id commune est omnibus, ut concordes retineant hæc tanquam necessaria creditu, (1.) duas esse causas reales, primam & secundam (2.) quæ concurrant, & (3.) Deum esse primam illarum. Utraque vel tria hæc Theologis & Metaphysicis Christianis inviolabilia huc usque fuerant. At Cartesiani posthumi (quidquid verbis aliquando assimulent) eadem evertunt opinione sua, & radicitus revellunt.*

## Caput V.

## SUMMARIUM.

*Cartesii sententia de extensione quoque Spinozæ favet. I. Quæ propriis ejus verbis proponitur. II. Et absurditatum plena est. III. Conceptus Cartesii de spatio infert necessario, illud esse increatum. IV. Atque æternum. V. Nec non infinitum. VI. Quod clare probatur. VII. Etiam ipsius Cartesii verbis. VIII. Hinc validissime infertur, mundum esse Deum, vel saltem ad Dei essentiam pertinere. IX. Tollitur hæc exceptio, quod corpus tantum respectu extensis dicatur infinitum. X. Corpus quoque immutabile, quia infinitum. XI. Corpus, qua corpus, i. e. spatiū, est, prorsus est indivisible. XII. Quod manifestum est e distinctione Cartesii inter corpus in genere, & corpus singulare.*

<sup>I.</sup>  
*Sententia Cartesii* **L**ustravi hic usque cogitationem, atque ex ea non pauca, quæ in rem suam

suam vertat Spinoza, erui posse, clare *teſi de demonstravi*. Nunc tranſeo ad extenſionem, in cuius descriptione non minus *ne quoque Spinozæ præluxisse aperta consequentia ostendam*. Ne vero quis meiterum fraudis, vel doli, vel sophificatio-  
nis insimulet, e re mea erit ipsa Cartesii verba exhibuſſe.

Ita hac de re mentem suam aperit Prin-  
cip. Part. 2. Articul. 10. Non enim in re *Quæ differunt spatium, sive locus internus & sub-propriisstantia corporea in eo contenta, sed tantum ejus verbi modo, quo a nobis concipi solent. Revera extensio in longum, latum & profundum, quæ spatium constituit, eadem plane est cum illa, quæ constituit corpus. Sed in hoc differ- rentia est, quod ipsam in corpore ut singula- rem consideremus, & putemus semper mutari quoties mutatur corpus; in spatio vero u- nitatem tantum genericam, ipsi tribuamus, adeo ut mutato corpore quod spatium implet, non tamen extensio spatii matari censeatur, sed remanente una & eadem, quamdiu manet ejusdem magnitudinis & figuræ, servat que eundem situm inter externa corpora quædam, per quæ illud spatium determinamus. Pergit Artic. 11. Et quidem facile agnoscimus, eandem esse extensionem, quæ naturam corporis & naturam spatii constituit, nec ma-*

magis hæc duo a se mutuo differre, quam natura generis aut speciei differt a natura individui; si attendentes ad ideam, quam habemus alicujus corporis, exempli causa lapidis, rejiciamus ab illa id omne, quod ad corporis naturam non requiri cognoscimus: nempe rejiciamus primo duritatem, quia si lapis liquefiat, aut in pulvrisculos quam minutissimos dividatur, illam amittet, neque tamen ideo definet esse corpus; rejiciamus etiam colorem, quia vidimus sc̄e lapides adeo pellucidos, ut nullus in iis esset color; rejiciamus gravitatem, quia quamvis ignis sit levissimus, non ideo minus putatur esse corpus; ac denique rejiciamus frigus & calorem, aliasque omnes qualitates, quia vel non considerantur in lapide, vel iis mutatis, non ideo lapis corporis naturam amississe existimatur. Ita enim advertemus, nihil plane in ejus idea remanere, præterquam quod sit quid extensum in latum, longum & profundum; quod idem continetur in idea spatii, non modo corporibus pleni, sed ejus etiam, quod vacuum appellatur. Qui plura desiderat inspiciat Articul. 12. 13. 14. 15. Solum hisce duntaxat addam Artic. 16. Vacuum autem Philosophico more sumptum, hoc est, in quo nulla plane sit substantia, dari non posse manifestum est, ex eo quod extensio spatii, vel loci

loci interni, non differat ab extensione corporis. Nam cum ex hoc solo, quod corpus sit extensum in longum, latum & profundum recte concludamus illud esse substantiam; quia omnino repugnat ut nihili sit aliqua extensio, idem etiam de spatio, quod vacuum supponitur, est concludendum, quod nempe cum in eo sit extensio, necessario in ipso sit substantia.

Ex hisce omnibus manifestum est,

Cartesium loco veri corporis mundo ob-

III.

trusisse meram aliquam chimæram, uni-  
versale aliquod, quod nullibi, nisi in  
mente fingentis, cum omnis veritas &  
realitas, in solis singularibus, consistat,  
existit. Hæc vero in transitu. In præ-

Et ab-

fusidita-  
tum ple-  
na est.

sens id tantum animadvertis, quod sco-  
po meo inservit, & quoque in hisce Car-

tesii cum Spinoza consensum luculenter  
ostendit. Quapropter hæc sequentia no-  
tabo. 1. Ex mente Cartesii omnem in-

tercapedinem inter duo corpora esse ve-  
ram substantiam corpoream. 2. Eam esse  
necessario increatam. 3. Ac proinde æ-

ternam. 4. Infinitam. 5. Immutabi-  
lem. 6. Indivisibilem. 7. Omnia

corporum singularium, quæ nihil aliud  
quam istius universalis extensionis modi  
sunt, subjectum & fundamentum.

Cartesium quamvis intercapedinem,

E 4

iv.

Conce-

plus Cartesi de spatio infinito manifestum est. Sic ipsum loquentem audi-cessario, illud esse gato: *Vacuum autem Philosophico more sumptum, hoc est, in quo nulla plane sit substantia, dari non posse manifestum est, ex eo quod extensio spatii, vel loci interni, non differat ab extensione corporis. Nam cum ex eo solo, quod corpus sit extensum in longum, latum & profundum, recte concludamus illud esse substantiam; quia omnino repugnat ut nihil sit, aliqua extensio, idem etiam de spatio, quod vacuum supponitur, est concludendum, quod nempe cum in eo sit extensio, necessario in ipso sit substantia.* Proposita quoque ei a Moro erat haec difficultas Epist. Part. I. 68. Si quis hujus mundi finibus prope assideret, quæro an posset gladium per mundi latera ad capulum usque transmittere, ita ut totus fere gladius extra mundi mœnia emineret. Quod enim nihil extra mundum sit, quod resistat, videatur factu facile, quod autem nihil extensum sit extra mundum quod recipiat, videtur ex ea parte impossibile. Huic ita respondet Epist. 69. *Imaginando gladium trajici ultra mundi fines, ostendis te etiam non concipere mundum finitum, omnem enim locum ad quem*

glas-

*gladius pertingit, revera concipis ut mundi partem, quamvis illud quod concipis vacuum voces. Ex hisce luce meridiana clarius evincam, Cartesium necessario extentionem statuere increatam ac æternam. Quod ut rite procedat peto hæc postulata, quæ nullus recta ratione utens, multo minus Christianus, negabit, mihi concedi.* 1. Ante mundum conditum prorsus nihil rei corporeæ extitisse. 2. Deum esse agens liberrimum. 3. Posse ideo talia, tot & tanta corpora creare, prout ei visum fuerit. 4. Creationem propriæ dictam esse productionem rei plane novæ & ratione materiæ & ratione formæ, i. e. res, quæ creatur, nequaquam producitur e quodam præexistenti. 5. Simplicem creationem rei unius ad meram existentiam, & non ad ordinem aliquem constitendum, non inferre creationem plurium. Ponam igitur casum: creaverit Deus duo corpora solida, quorum figura sit exacte rotunda, & duo illa corpora tantum junxerit illa ita, ut se invicem immediate tangant: ob figuram exacte rotundam se mutuo duntaxat immediate contingat in puncto quodam, aut in exigua superficerum parte, de eo jam disputare nolo. Quid hinc jam eveniet,

E 5 crit-

eritne utrinque inter peripheriæ partes, a puncto contactus prominentes, quædam intercapedo, sive spatum? Sed quidnam Cartesio erit hoc spatum? Haud dubie substantia (ut ait) corporea, quippe quæ extensa sit, cuius quantitas æstimari queat, & sub certa & determinata figura concipiatur. Est tamen hæc extensio a Deo non creata: sola enim ex hypothesi duo corpora rotunda creata sunt, neque creatio unius ad simplicem existentiam per se infert creationem alterius, nisi quis somniare vellet de quædam lege naturæ, Deo superiore, ob quam Deus teneretur, quando ejusmodi corpora rotunda jungere vellet, aliquid creare, quod eorum interstitia repleret, quod Dei libertatem funditus everteret. Nec prætendat aliquis, si Deus vult ut partes circumferentiaæ globorum a se invicem distent, id necessario fieri debere per veram aliquam extensionem interpolitam; quod falsissimum est, cum globorum partes a puncto contactus recedentes, necessario vi propriæ figuræ distent. Est igitur hic spatum, (mihi verum & merum nihil, quod a nobis ob corpus possibile, quod interponi posset, ad instar extensionis realis concipitur,)

Car-

Cartesio vera substantia corporea, istic a Deo non creata, ac proinde increata, atque æterna. Ejuret igitur suam de spatio falsam & perniciocissimam opinionem, vel sit Atheus.

Sententia illa, quam de spatio fovet Cartesius, illud necessario facit æternum. Audiamus quid Moro respondeat Epist. 69. Part. 1. Repugnat (inquit) conceptui meo, sive, quod idem est, puto implicare contradictionem, ut mundus sit finitus vel terminatus, quia non possum non concipere spatum ultra quoslibet praesuppositos mundi fines; tale autem spatum apud me est verum corpus. Sic eodem modo insti-  
tuam: implicat contradictionem, ut mundum concipiā aliquando non suffice, vel habere terminum suæ durationis; quia quotiescumque cogitatione mea principium mundi praesuppositum antevertō, toties concipere cogo aliquod spatum, in quo hic mundus existeret: tale autem spatum est apud me verum corpus. Quænam ratio dari poterit, qua ostendatur, quod mea ratiocinatio non æquerite procedat ac illius. Etenim, si spatum adeo vastum, adeo immensum sit, ut omnes omnino terminos respuat, qui durationis admittet? Si a Deo, tanquam liber-

v.  
Atque  
eter-  
num.

rimo

rimo agente productum sit, potuitne ad certum modum, certamque mensuram creari? An res creanda creatori legem præscribet quanta & qualis esse velit? Si Deus hunc mundum, i.e. secundum Cartesium, spatii modos (in ipsum enim spatium Deo nullam concedit potestatem) destrueret, an non ipsum spatium maneret superstes? Cum igitur ipsum spatium annihilari nequeat, eo ipso creari non potest: ergo est in creatum & aeternum. Epicurus voluit, hunc mundum constare corpore & inani, sive loco; quare Physica Cartesii nihil aliud quam politior quadam Epicuri est.

vi. Hanc extensionem Cartesium statuisse infinitam, ex ejus scriptis manifestum est. Hac de re quidem dubitanter & simulate loquutus est, non, quod dubitaret, sed ut declinaret offensam, & ne incensuram Ecclesiæ Romanæ incurreret. Idcirco tam anxie e Merseno percunctatus fuit, quænam hic esset sententia Ecclesiæ, uti appareat ex Epist. 105. Part. ii. Quæso recribe mihi, an de extensione mundi quicquam fuerit in fide definitum, utrum nempe sit finitus, an vero potius infinitus, atque utrum spatia illa, qua vocantur imaginaria, sint corpora creata & vera;

nam

nam licet non erat animus hanc quæstionem mouere, tamen puto mihi invito tractandum fore. Quid ipsius intererat, si nil monstri penes se aleret, scire, quid de mundi extensione ab Ecclesia esset definitum. Utique noverat, eam esse omnibus Christianis sententiam, quod mundus sit finitus, ideoque, se nihil mali perpetratum, si illi subscriberet. Sed aliud quid moliebatur, videlicet renovare impiam Epicuri de hujus universi infinite sententiam, quam non sine quadam animi sollicitudine palam profiteri audebat: non enim ignorabat, Epicurum, ob hunc aliosque errores, pro homine impurissimo, & parum ab Atheismo distante, fuisse habitum; præterea, si Ecclesia Romana contra hanc sententiam aliquid decrevisset, non tutum ipsi erat illum divulgare, nisi eam actutum rejeçtam & condemnatam vellet. Astutia igitur ei opus fuit, qua in Deum injuriam sententiam molliore, sed deceptrice, voce tegeret, & pro infinito pone-re nugax illud indefinitum, per quod lectoribus suis fucum facere voluit, & ita suam de mundi infinite sententiam tutius commendare.

Ut id omnibus clare appareat operæ pre-

vii.  
Quod

## 78 C A R T E S I U S V E R U S

ilare probatur.

pretium erit quædam describere, quæ de hac materia habet in Epist. 36. Part. 1. ibi sic: *Primo memini Cardinalem Cusum, Doctoresque alios plurimos supposuisse mundum infinitum, neque tamen propterea ab Ecclesia fuisse correptos.* Hic aditum parat suæ opinioni, ostenditque tolerari posse & débere: quod enim aliis licuit, cur ipsi non liceret, & quod Ecclesia in aliis toleravit absque reprehensione, quænam foret justa ratio, quod ob omnino idem illum corriperet. Ut magis suam commendet, Cusani sententiam non obscuræ laudat. *Contra* (inquit) *videtur ad Dei cultum pertinere ut ejus opera amplissima censemantur.* Maxime itaque existimat Deum celebrari per mundum infinitum; durius tamen vocabulum est, quam ut omnes illud sine quadam animi ægritudine admittant: igitur paulo aliter loquendum est, ut hæc de mundi infinitate sententia facilius recipiatur. Pergit itaque: *Meaque sententia, commodius admitti potest, quam illorum sententia, quia non dico mundum esse infinitum, sed tantum indefinitum.* Quæ quidem duo haud parum inter se differunt: *ad hoc enim ut quis dicat infinitum quid esse, ratione aliqua nisi debet, quapropter rem ita se habere, quod de Deo tantum*

pro-

## S P I N O Z I S M I A R C H I T E C T U S . 79

*probari potest; sed ad hoc ut dicam esse quid indefinitum, satis est si nulla sit ratio, qua probari possit id esse finitum. Mibi autem videtur probari non posse, imo neque concipi, ullos esse fines materiæ ex qua constat universus orbis.* Primum, uti videtur, procedit negative, & non vult extensionem finitam pronunciare, quia nihil finiti in ea ipsi occurrit. Sed mera verba sunt, mera fraus, merus dolus, ad impietatem, quam animo conceperat, occultandum. An omnes homines præter se fungos existimavit arrogans ille impostor? Praeviditne facile aliis posse subolere, quid machinaretur? Enunciationem indefinitam agnosco, rem nullam; cum ipsa rei idea me doceat, utrum tanquam infinita, vel finita sit concipienda: nam quia infinitas soli Creatori competit, hinc quam clarissime cognosco, omnem rem creatam ab infinitate excludi; & quamvis nesciam ubinam præcisæ sint rei creatæ termini, scio tamen alicubi esse; & ideo, licet extensionis determinatam quantitatatem ignorem, scio tamen eam debere esse finitam. Utique finitum & infinitum, sive non finitum, contradictoria sunt, & unum contradictiorum semper verum est, semper falsum alterum, neque con-

contradictoria ullum admittunt medium. Apage igitur nugacissimum illud & fictum Cartesii *indefinitum*, summæ improbitatis & Atheismi tegumentum! Sed jam modestiæ Cartesianæ satis; opinionem, ad quam propenderet, diutius celare nequivit, ideoque a ratione negativa transit ad positivam, qua adstruat, mundum non posse concipi finitum, & esse in ipsa extensionis idea certissimas ac firmissimas rationes, ob quas finita concipi nequeat; quare sequuntur hæc verba. *Cum enim materiae hujus naturam perscrutor, invenio possum esse totam in eo, quod extensa sit secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem; ita ut quicquid praeditum est tribus hisce dimensionibus, sit materiae hujus pars.* Neque vero potest spatium ullum dari omnino vacuum, hoc est, quod nullam contineat materiam, quia tale spatium concipere nequimus, quin tres hasce in illo dimensiones, & proinde materiam concipiamus. Mundum autem finitum supponendo, concipiuntur ultra ejus fines spacia quedam tribus hisce dimensionibus praedita, & proinde non pure imaginaria, quæ Philosophi vocant, sed continentia in se materiam; quæ cum alibi esse nequeat, quam in mundo, liquet mundum extra fines ipsi prescriptos extendi. Cum

ergo

*ergo rationem nullam neverim, qua probem, imo neque concipere queam, mundi fines ullos esse, illum indefinitum voco.* Propius jam accedit, & mentem suam de extensione infinita plenius & planius aperit, ut lectores pedetentim rationibus positivis, enatatura extensionis & spatii defumptis, ad suam sententiam pelliciat: quinimo tacitam proponit contradictionem, si quis hunc mundum statuat finitum; quia ex hypothesi mundus habetur finitus, & tamen ultra istius mundi finiti terminos spatium semper aliquod in infinitum concipiendum est; quod cum pertineat ad mundum, iste simul finitus & non finitus deberet concipi, quæ plane contradictionia sunt: conatur itaque efficacissimo modo demonstrare extensionis infinitatem. Sed jam nimium dixerat; quandoquidem ex dictis profana ejus sententia unicuique attendenti satis innotescere poterat; voluit igitur se sub hoc, quoad speciem modesto, sed reapse ridiculo, epilogo recondere: *Sed negare tamen nequeo illius forsitan fines aliquos Deo esse notos, licet illis comprehendendis impar sim;* quare non dico absolute esse infinitum. Itane Cartesi, dixisti te id percipere ex ipsa extensionis natura necessario sequi, ut illa

omni termino careat; quod omni termino caret, seseque in infinitum extendit, est ne illud positive infinitum? Concepisti infinitum spatium, & illud verum corpus, & istius naturæ esse, ut necessario omnem terminum respuat: Quod clare & distincte percipis, estne verum? Et jam nescis utrum forsitan Deo quidam ejus fines noti sint. An Deo id notum de re esse potest, quod falsum est, quod ob naturam ipsius rei, neque est, neque esse potest? Sed putasli forsitan, cuique datum non esse habere nasum, teque suata tua contradictione lectores tuos illusurum, virusque tuum, quotiescumque e re tua foret, teeturum, evasurumque.

*viii. Etiam ipsius Cartesii verbis.* Quid vero diutius eruendæ ejus de infinite extensionis sententiae incumbit, cum ipse in ea palam confitenda subinde nulla utatur circuitione. Sic loquitur *Part. Princ. II. Art. 21.* *Cognoscimus præterea hunc mundum, sive substantię corporeā universitatem, nullos sūc extensionis fines habere.* Id cognoscit, i. e. certo scit, & unde, nimis. ex idea spatiæ, quæ necessario, ut si quis spatium, sive puro intellectu, sive imaginatione, terminare conetur, sibi ipsi turpiter contradicat. Ita se declarat *Epist. 69. Part. I. repugnat*

con-

conceptui meo, sive, quod idem est, pati implicare contradictionem, ut mundus sit finitus vel terminatus, quia non possum non concipere spatium ultra quolibet præsuppositos mundi fines; tale autem spatium apud me est verum corpus. Valida itaque ei ratio fuit, ob quam spatium, nullo modo terminatum, concipere potuit; ergo ceu infinitum; quia non finitum & infinitum reapse idem sunt. Rursus *Part. I. Epist. 7.* Post agnitam ita Dei bonitatem, animarum nostra rum immortalitatem, universi immensitatem &c: Quod immensum, utique infinitum. Ponit itaque cum Spinoza extensum aliquod infinitum, quod necessario vel ipse Deus, vel saltem naturæ Divinæ pars esse debet; quod nunc ulterius demonstrabo.

Omnis extensio est verum corpus, si quidem in ea corporis essentia consistit; quin, uti Cartesius vocat, substantia est: ubi igitur extensio est, ibi vera est realitas, & ubi extensio infinita, ibi est realitas infinita: realitas vero infinita talis est, in qua summa est realitatis plenitudo: si enim realitati vel minimum deesset, non foret infinita; quia ubi aliquis esset realitas defectus, ibi terminaretur, quod in *Dei* es- ideam infiniti plane arietat. Sed realitas *sentiam* cuiuscunque perfectionis est fundamen- *pertine-* IX.  
Hinc  
quam  
validissi-  
me in-  
dum esse  
Deum,  
vel sal-  
tem ad  
cujuscunque perfectionis est fundamen-  
tum,

tum, & quo plus est in re quadam realitatis, eo perfectior est: res igitur infinitæ realitatis, est infinitæ perfectionis, ac proin ens infinite perfectum, quæ est ipsa Dei definitio. Hanc ob rationem nihil potest esse infinitum, quin sit Deus, vel saltem ad Divinam essentiam pertineat; quod demonstrandum in me suscepseram.

*X.  
Tollitur  
bac ex-  
ceptio,  
quod cor-  
pus tan-  
tum re-  
spedit  
exten-  
sionis dia-  
tur in-  
finitum.*

Miserrimum haud moror effugium, quod corpus duntaxat respectu extensionis, non aliarum perfectionum, infinitum fit. Etenim. 1. Nullum prædicatum aut attributum essentiale sua essentia latius esse potest, neque essentia finita recipere quit attributum infinitum, quod esset absurdissimum & omni rationi prorsus contrarium. 2. Extensio est ipsa essentia corporis; quapropter minime dici poterit, corpus est quidem infinitum ratione extensionis, non aliarum perfectionum: nam quod respectu extensionis infinitum est, id respectu totius suæ essentiæ infinitum, & possidet essentiam infinitam, in cuius infinitate omnes omnino perfectiones involvuntur. Aliud quid est, utrum meræ cogitationi & extensioni jure tribuatur infinitas, quod nego & pernego; quia sic duo contraria uniunter inter se, quod impossibile est; duo dico jungi contra-

traria quia subiecto per se limitato & imperfecto tribuitur aliquod non limitatum & perfectissimum, & sic illa res simul limitata & infinita, imperfecta & perfectissima statuitur, quæ aperta contradic̄tio est. Eo tamen posito, quod aliquis statuat extensionem infinitam, eo ipso statuit essentiam perfectissimam, & si in re quadam infinitas esse queat, in ea quoque erit summa perfectio. 3. Quod quodam respectu, & præsertim essentiæ, infinitum est, id etiam quocunque respectu erit infinitum; quia nihil simul ex finito & infinito, inter quæ nulla est proportio, constare potest. Clarissime itaque demonstravi, infinitam extensionem esse essentiam infinitam, ac proinde infinite perfectam, qualem omnes Deum vocant; quoisque igitur hæc Cartesiana infinita extensio a Deitate differat, videant, quorum interest. Hoc mihi certum est, hanc sententiam cum Spinozæ opinione de infinita extensione arctissimo societatis vinculo esse conjunctam: En igitur *Philosophum ορθοδοξότατον!* *Philosophiam sanam, veram, unicam, utilissimam, & ad salvandam Religionem necessariam!*

Ex extensionis infinitate sequitur necessario, eam esse immutabilem; quia,

*quoque immutabile, quia infinitum.* quod semper eodem modo manet, id immutabile est: extensionis modi quidem subeunt mutationes; sed ipsa extensio semper est eadem. Audiamus ipsum Cartesium *Princ. Pat. II. Artic. 12.* *Est autem (inquit) differentia in modo concipiendi; nam sublato lapide ex spatio vel loco in quo est, putamus etiam ejus extensionem esse sublatam, utpote quam ut singularem & ab ipso inseparabilem spectamus: sed interim extensionem loci, in quo erat lapis, remanere arbitramur, eandemque esse, quamvis jam ille locus lapidis a ligno, vel aqua, vel aere, vel alio quovis corpore occupetur, vel etiam vacuus credatur. Quia ibi consideratur extensio in genere, censeturque eadem esse lapidis, ligni, aquae, aeris, a liorumque corporum, vel etiam ipsis vacui, si quod detur, modo tantum sit ejusdem magnitudinis ac figurae, servetque eundem situm inter corpora externa, quæ spatium illud determinant. Hic diserte loquentem audi mus Cartesium, licet unum corpus in eodem loco alteri succedat, vel nullum esset corpus singulare, extensionem in genere prorsus manere eandem, i. e. esse immutabilem. Conferamus cum hisce, quæ habet Spinoza post *Propos. I3. Part. II. Lem. I.* *Corpora ratione motus & quietis,**

*tis, celeritatis, & tarditatis, non ratione substantiae ab invicem distinguuntur. Et clarius in Scholio ad Propos. I5. Part. I. Pre cipue si ad hoc etiam attendatur, quod materia ubique eadem est, nec partes in eadem distinguuntur, nisi quatenus materiam diversimode affectam esse concipimus, unde ejus partes modaliter tantum distinguuntur, & non realiter. Ex. gr. aquam, quatenus aqua est, dividi concipimus, ejusque partes ab invicem separari; at non quatenus substantia corporea est; eatenus enim neque separatur, neque dividitur. An majorem volumus convenientiam? Statuit uterque, corpora singularia mutationes subire, sed corpus in genere, quod uterque substantiam vocat, omnino remanere unum & idem.*

Præterea ex idea extensionis, sive spati*xiiii.*  
Corpus,  
quacor  
pus, i. e.  
spatium,  
est, pror  
sus est  
indivisi  
bile.  
tii.

sequitur, spatum esse indivisibile: quippe quod natura sua sit aliquod continuum, & omnis separationis impatiens. Etenim quocunque divisibile est, potest ab alia quadam parte recedere; & quod ab alio quadam recedit, inter illa duo aliquid est interpositum, a separatis diversum; sed cum spatio ita ex mente Cartesii comparatum est, ut, quodvis corpus etiam interponatur, spatum sem per

per maneat idem, et si nullum corpus singulare, ac ita, uti quidam volunt, ibi esset vacuum, ut ex præcedenti articulo 12. intelleximus. Neque unum spatiū ab alio ita sejungi quit, ut nihil prorsus extensionis interjaceret, quia tunc necessario ibi esset revera vacuum, cuius solius conceptus Cartesio horrorem incutit. Idem de extensione docet Spinoza.

*Corol. Prop. 13. Part. 1.* *Ex his sequitur, nullam substantiam, & consequenter nullam substantiam corpoream, quatenus substantia est, esse divisibilem.* Clarius in Scholio ad Propos. 15. Si itaque ad quantitatem atten-dimus, prout in imaginatione est, quod se-pe, & facilius a nobis fit, reperiatur finita, divisibilis, & ex partibus conflata; si au-tem ad ipsam, prout in intellectu est, atten-dimus, & eam, quatenus substantia est, con-cipimus, quod difficilime fit, tum, ut jam satis demonstravimus infinita, unica, & indivisibilis reperiatur. Quæ omnibus qui inter imaginationem, & intellectum dis-in-guere sciverint, satis manifestumerit: Præ-cipue si ad hoc etiam attendatur, quod ma-teria ubique eadem est, nec partes in eadem dis-tinguuntur, nisi quatenus materiam diver-simode affectam esse concipimus, unde ejus par-tes modaliter tantum dis-tinguuntur, non au-

autem realiter. Ex gr. aquam, quatenus a-qua est, dividi concipimus, ejusque partes ab invicem separari; at non quatenus sub-stantia est corporea; eatenus enim neque se-paratur, neque dividitur. Hic unusquisque satis videre poterit; quam belle hic no-bis Spinoza pandat extensionis infinitæ, unicæ, indivisibilis mysteria, & quo sen-su dici queat finita, multiplex, divisibi-lis, & rursus infinita, unica, & indivi-sibilis; eodem autem tramite procedunt ea, quæ Cartesius docet de extensione in genere ab omni corpore singulare abstra-cta, ut jam ostendi & jamjam clarius de-monstrabo.

Cartesium distinxisse inter extensiō-nem universalem, sive in genere, & fin-gularem, ex iis, quæ passim de exten-sione philosophatus est, quam clarissi-mum evadit. Per extensionem universa-lem intelligit talem, quæ nulla alia cor-porea qualitate aut proprietate prædita est; quæ non est dura, vel mollis, vel sicca, vel humida, quæ per se nullum nostrorum sensuum afficit. Hæc extensiō-pus fin-est infinita, unica, utpote aliquod con-tinuum nullibi interruptum, & indivisi-bilis, & omnium corporum singulare commune existit subiectum, & se habet

xiii.  
Quod manifestum est e distinctione Cartesii;

ad illa uti species se habet ad sua individua: hæc extensio varios subit modos, & ita modificata corpora singularia constituit: si enim ponatur extensionem esse substantiam corpoream, & corpora singularia esse veras substantias, a se invicem distinctas, tunc inde sequitur absurdissimum illud consequens, unum corpus esse in alio, & ita dari dimensionum penetrationem. Quod etiam confirmat ejus de vacui impossibilitate sententia; quoniam audacter affirmat, ibi, quamvis nullum existat corpus singulare, ubi cunque extensio est, verum quoque esse corpus. Quapropter ex hisce principiis admodum recte argumentatur Spinoza in Scholio Propof. 15. Et profecto, non minus absurdum est ponere, quod substantia corporea ex corporibus, sive partibus componatur, quam quod corpus ex superficiebus, superficies ex lineis, lineæ denique ex punctis componantur. Atque hoc omnes, qui claram rationem infallibilem esse sciunt, fateri debent, & imprimis ii, qui negant dari vacuum. Nam, si substantia corporea ita posset dividiri, ut ejus partes realiter distinctæ essent; cur ergo una pars non posset annihi- lari, manentibus reliquis, ut ante, inter se connexis? Cur omnes ita aptari debent, ne det.

detur vacuum? Sane rerum, quæ realiter ab invicem distinctæ sunt, una sine alia esse, & in suo statu manere potest. Cum igitur vacuum in natura non detur, (de quo alias) sed omnes partes ita concurrere debeant, ne detur vacuum; sequitur hinc etiam, easdem non posse realiter distinguiri, hoc est, substantiam corpoream, quatenus substantia est, non posse dividiri. Rectissime ostendit Spinoza juxta hæc principia, nulla corpora singularia, ceu veras distinctas substantias posse admitti: quamobrem hoc universum non constat variis corporibus substantialibus inter se unitis, sed unius corporis diversis modificationibus. Et profecto si mundi Cartesiani consideremus fabricam, non varias substantias, sed duntaxat unius extensionis varios comprehendemus modos: statuit enim, fuisse materiam uniformem solidam (unde extensio in genere ad soliditatem perveniret, nescio; nisi forte per dationem soliditatis intelligat materiae creationem) illi a Deo inditum fuisse motum, partes materiae varios subivisse modos per solum istum motum tandem adeptas fuisse varias figuræ, & ita hæc vel illa facta fuisse corpora; an hoc aliud quid est, quam quod ista extensio universalis, quatenus varie

varie modificata est, nobis varias exhibeat corporis species? Clara est hac in parte sententia Cartesii *Princip. Part. II.*  
*Artic. 10. 11.* quorum articulorum verba, quia ea exhibui in principio hujus Capitis, denuo non describam; sufficit in præsens attendere ad hoc, quod velit inter corpus & spatium nullam esse differentiam quam in modo considerandi, & tum demum extensionem vocari corpus, quando spectatur tanquam singulare, i. e. cum peculiari modificatione est affecta & determinata: nam quia extensio, sive spatium, quaspatium, omnem veram & realem divisionem respuit, aliter, quam per varias modifications, ad quædam singularia determinari nequit. Sed hæc est ipsissima Spinozae opinio, & in eo hic solum differt a Spinoza Cartesius, quod hanc extensionem Deo non tribuat: ubinam vero rem, cui vera substantiae definitio non competit, commodiis collocare queat, ipse viderit. Ex his quam clarissimum est, quantus, quoad naturam corporis, inter Cartesium & Spinozam sit consensus, & quam planam, qua suos teterimos errores ad complementum proveheret, viam unus alteri straverit: Q. E. D.

Ca-

## Caput VI.

## SUMMARIUM.

Proponuntur denuo argumenta, quibus antehac consensus inter Cartesium & Spinozam demonstratus est. I. Quorum primum desumptum fuit ab unica substantia tantum a Cartesio admissa. II. Cujus vis pressius ostenditur. III. Cl. Antagonista ad illud responso. IV. Quæ in omnibus deficit. V. Id primum Cl. Antagonista ostendit, quando eam definitionem substantiae explicat & supplet. VI. Eo igitur nomine, quod explicatione non egeat, Peripateticorum substantiae definitioni non est præferenda. VII. Neque indicat modum, quo Deus sit substantia; sed omnem veram substantia notiōnem ad solum Deum restringit. VIII. Non enim removet subjectum in passionis, sed causam efficientem & conservantem. IX. Neque substantia

tia Dei, quatenus substantia abstrac-  
to concepiū intelligitur, alia est,  
quam rerum creatarum, licet essen-  
tia alia sit; inter quam, & merum  
substantiae conceptum, maximum est  
discrimen. x. Adverbium PLA-  
NE Viro Cl. nequaquam prodest,  
ad Cartesium excusandum. xi. Con-  
cessit quoque nimium Vir Cl. quando  
dicit, substantiae definitionem Deo &  
creaturis tribui aequivoce. xii.  
Quandoquidem genus aequivocum uni  
speciei, quoad rem, alteri duntaxat  
nomine tenus competit. xiii. Uni-  
cam tantum esse substantiam, inge-  
nue quidam agnoscunt Cartesiani;  
& denuo ostenditur, id necessario  
sequi e definitione Cartesiana. xiv.  
Hic loquendi modus, quod res crea-  
tæ solo Dei concursu existant, prop-  
ter gravissimas rationes valde est su-  
spectus. xv. Tertia substantia defi-  
nitio, a Cartesio Resp. 2. Definit. 5.  
proposita, Cl. Antagonistam nihil  
juvat, sed ei quam maxime ob-  
est.

est. xvi. Merito quoque Cartesium  
de Spinozismo suspectum reddit nota  
distinctionis realis. xvii. Scrupu-  
lus, qui e locutione Cartesii de crea-  
tis substantiis posset suboriri, remo-  
vetur. xviii. Tandem, unicam  
tantum posse agnoscere, Mathema-  
tice demonstratur. xix.

I. Propo-  
natur  
denuo  
argu-  
menta,  
quibus  
antebac  
confessus  
inter  
Cartesi-  
um &  
Spino-  
zam de-  
monstra-  
tus est.

**O**rdo, quem mihi constitui, exigit  
ut ea argumenta, quæ in Scripto  
vernaculo, *Cartesio Spinoza Preluciente*,  
ad demonstrandum, quoad fundamen-  
tum, inter Cartesium & Spinozam con-  
fensem, & in quæ, ad ea enervanda,  
insurrexit Vir Cl., denuo proponam, ut  
æquo lectori pateat, utrum directe ad ea  
responderit, difficultates sustulerit, co-  
rum vim infregerit Vir Cl.; an vero  
ictum tantum declinaverit, & pro ratio-  
nibus verba, ne dicam dicteria, dederit:  
quod ut clarius evadat, meam ratiocina-  
tionem, qua e Cartesio evincere cona-  
tus fui, illum duntaxat unicam admittere  
substantiam, verbotenus ex *Metaphysica*  
*mea Repurg.* describam, nec non bona  
fide Responsiones & Exceptiones Viri  
Cl. integras proponam. Repeto ex Me-  
taphy-

taphysica & non e Scripto vernaculo; tum, quia sensus fere eodem reddit, & ex ea facilius ipsa verba proponere possum; tum, quia ipse Vir Cl. quædam ex ea allegavit, & impugnavit.

II. Postquam Cartesii definitionem, quæ extat Princip. Part. I. Articul. 51. proposueram, sic institui: Proponit hic, ut multi impostores solent, sub specioso pietatis ab unica prætextu, ac si Deum extollere, & omnes substan- creaturas deprimere vellet, perniciosissimam tum a Cartesio suam sententiam. Hanc ob causam ab iis, qui adeo eum depereunt, ut ne quidem illis ipsa ejus merda factorem redoleat, hic non culpatur, neque excusat, sed summopere laudatur, ac si supra alios Divinam effen- tiam celebrasset, cum ipso facto velit, cuncta esse Deum.

Quod ut patet, enucleanda sunt ejus verba, & ad singula, nec non ad ejus propositum, diligenter est attendendum. Scopus ejus est ostendere, quid discriminis sit inter res & earum modos: quapropter primum contemplationem substantiarum, seu rei principalis, aggreditur, docetque in quo ejus es- sentia consistat. Haud igitur obiter & perfunctorie hanc materiam tractat, ast ex pro- fesso. Quapropter hic pretendi nequit, Car- tesio aliquid excidisse, quod non satis erat meditatus.

Tran-

Transit igitur, ut doceat, quid substantia sit, ad ejus definitionem, quam talem exhibet: Per substantiam nihil aliud intelligere possumus, quam rem, quæ ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum. Non solum dicit per Substantiam intelligo talem rem, sed non possumus intelligere aliud, quo ostendit, id e diametro repugnare ideæ substantiarum, eamque prorsus revertere, si quis concipiatur substantiam illa alia re ad existendum indigentem; quod fortius adhuc astringit, dum adhibet enuncia- tionem universalem qua negat, id posse tan- quam substantiam concipi, quod vel nullare ad existendum indiget. Hinc concludo; quod illa alia re indiget ad existendum non est substantia. Atqui omnes res creatæ quadam re indigent ad existendum. Ergo illæ non sunt substantiarum. Vel ita; substantia nulla re indiget ad existendum. Res creatæ quadam re indigent ad existendum. Ergo res creatæ non sunt substantiarum.

Conferatur hæc definitio cum definitione Spinozæ, (præsertim cum sensu ejus Athei: nam quoad externam speciem illa longe tolerabilius est definitione Cartesiana) quæ hæc est: Per substantiam intelligo id, quod in se est, & per se concipiatur; per quod in se esse ille impostor, ut ex eventu patet, intelligit quod a se est, ac proin nulla alia re

G

indi-

*indiget ad existendum, & quam facillime deprehendetur, ovum ovo non esse similius.*

*Ulterius pergit Cartesius & e data substantiae definitione hanc colligit consequentiam: & quidem substantia, quæ plane nulla re indigeat ad existendum, unica tantum potest intelligi, nempe Deus. Vult itaque, hanc suam definitionem, quia nulla alia res occurrit præter solum Deum, quin quadam alia re indigeat ad existendum, soli Deo posse applicari, ac proinde unam tantum esse rem, quæ vere & proprie Substantia dici mereatur.*

*Quid tandem statuendum erit de cunctis aliis rebus? Alias vero omnes, respondet, non nisi ope concursus Dei existere posse percipimus. Mira Profecto phrasis, substantias existere ope concursus Divini, cum concursus, qua actus Dei, nunquam a Philosophis vel Theologis ad rerum essentias, sed ad earum operationes referatur; quodipsum, utpote modorum loquendi satis peritum, latere non potuit. Ea vero Philosophis concurrere, ratione alicujus essentiae, dicuntur, quæ una convenient & requiruntur ad constitutandam aliquam essentiam; idcirco hujus phraseos genuinus sensus optime hic haberi posset, quod essentia Dei, tanquam radix & fundamentum omnis, venia sit verbo, substantia*

*stantialitatis rerum aliarum sit concipienda, easque non infar substantiarum concipi posse, nisi quatenus illi uni substantiae insunt, & ea concurrit ad earum essentiae constitutionem. Quicquid sit, id certum est, Cartesium hic omnes res, respectu substantialitatis, sive naturæ substantialis, Deo opponere (utitur enim enunciatione adversativa) &cludere, inter illas & Deum nullam esse convenientiam, i. e. eas non esse veras substancias.*

*Quod etiam tandem aperte fatori non veretur: dicit enim, hinc novam consequentiam inferens: Atque ideo nomen substantiae non convenit Deo & illis univoce, ut dici solet in Scholis, hoc est, nulla ejus nominis significatio potest distincte intelligi, quæ Deo & creaturis sit communis. Nihil hic utitur circuitione, rotundisque verbis negat, nomen substantiae de Deo & creaturis univoce posse pronunciari. Ut itaque recte intelligatur, quis his verbis sensus subfit, scire oportet, tres esse a Philosophis receptos prædicandi modos, videlicet univocum, equivocum, & analogicum. Prædicatio equivoca est, quando eadem essentia rebus non competit, ast ob externalam similitudinem aliquam eodem nomine appellantur, ut. v. c. effigies hominis vocatur homo pictus, quamvis*

vis isti nihil vere humani insit. Hinc patet, per prædicationem æquivocam nihilum essentiale tribui. Analogica est, cum aliquid perfectionis, quæ gradus recipit, quæ est in una re, alteri quoque assignatur; ita de Deo & hominibus dicitur, quod sapient: nam licet in Deo sit longe excellentior & infinita sapientia, est tamen in homine etiam aliquid perfectionis istius; & nunquam adhibetur prædicatio analogicar respectu essentiæ, nisi quatenus consideratur quædam earum perfecio, quæ vel major vel minor esse potest. Hic vero illa prædicatio nullum potest habere locum, quia substantia, ut ajunt, non recipit majus & minus. Notandum porro, nihil posse dici analogice de contradictoriis, quorum unum alteri non tantum aliquid detrahit, sed & prorsus tollit atque destruit. Resvero, quæ nulla alia re, i. e. prorsus nihil præter se indiget ad existendum, & res, quæ Dei concursu indiget ad existendum, ut pote quodam indigens, sunt contradictionia: utique res, rei cuiusdam ad existendum indiga, est in existendo dependens, resvero, nullius rei ad existendum indiga, est in existendo non dependens: enunciatio enim universalis negans per particularem affirmantem evertitur, & vice versa; & in omni vera contradictione universalis neganti particularem affirmantem

mantem esse opponendam, Logici docent. Cum itaque secundum Cartesium ratio formalis, sive id, quod substantiam facit, consistat in indigentia nullius rei ad existendum, per se claret, indigentiam alicujus ad existendum totam tollere rationem formalem substantiæ, & in tali re non tantum esse minus substantialitatis, sed prorsus nihil, ac proinde nullam hic posse esse prædicationem analogicam. Univoco de rebus dicitur id, quod utriusque, & secundum nomen, & secundum definitionem, ex æquo tribuitur; sc. v. c. de Petro & Paulo, quod sint ambo homines, neque uni magis quam alteri humana natura competit. Cum igitur inficias Cartesius, Substantiam de Deo & creaturis posse dici univoco, eo ipso negat, substantiæ definitionem competere creaturis: sed cui, sic ajunt Logici, non competit definitio, ei neque definitum competit. Ex his omnibus Sole meridiano clarissimus est, Cartesium duntaxat statuere unicam substantiam, eamque esse Deum.

Q. D. E.

Ita tunc temporis fui argumentatus; quibus impræsentiarum nihil addam; tandem paucis meorum argumentorum sedes, ut eorum vis melius percipiatur, sum ostensurus. 1. Argumentum desumfi ex ipsa definitione substantiæ, quæ clara est.

G 3

2. Ab

III.  
Cujus  
vis pref-  
suis o-  
stendi-  
tur.

2. Ab universalitate enunciationis negantis, quæ vel minimum excludit: quare, si res quædam quadam re quovis etiam respectu indiget ad existendum, ea substantiæ nomine indignaerit. 3. A loquendi modo, quam efficacissime definitio veritatem affirmante: dicit enim impossibile esse sine nullius rei indigentia substantiam concipere. Qui potuisset loqui clarius, qui efficacius? 4. A re producta, (Deo) cui vere hæc definitio tribui potest & quidem soli: nam frustra ejusmodi substantiæ definitio data fuisset, nisi res quædam extitisset, cui conveniret. 5. Ab oppositione facta inter Deum & res creatas. 6. A definitione hac omnibus aliis rebus præter Deum prorsus negata. In his sita fuit vis mei argumenti; quæ omnia Vir Cl. præterit, itaque se gerit, ac si omnes meæ rationes essent plane enerves, & sibi cum velite quadam, vel homine ignavo res esset, quem torvo aspectu deterrere & prorsus fugare posset: sed si id sibi persuadere studeat, maxime hallucinatur, neque dimittam ipsum, donec mihi plene fuerit satisfactum; quod an ullo modo, aut ultra specie ab ipso præstitum sit, ex ejus ad hæc mea responsionibus, quas nunc

nunc subjiciam, cordatus lector judicet.

*Operæ pretium erit (ita fatur Vir Cl. in Cl. An-*  
*Apologia pro vera & saniore Philosophia tagoni-*  
*§. 20.) heic observare Cartesium revera sse ad il-*  
*substantiæ definitionem omnium optimam lud ref-*  
*proposuisse. Cum enim alii Logici & Meta- poncio-*  
*physici debuerint explicare, quid sit per se*  
*existere, sive subsistere, (quæ verba in*  
*definitione ponunt,) scilicet alii rei non in-*  
*hærere, nec inesse ut subiecto, acciden-*  
*tium enim esse est inesse, sive inhærere;*  
*Cartesius ea verba in ipsa definitione posuit,*  
*quæ explicatione non egent. Laudari vero*  
*maxime meretur, quod distincte ostendat,*  
*quo sensu Deus, & quo sensu omnes alie res*  
*sint substantiæ. Addit enim, substantia,*  
*quæ NULLA PLANE RE indiget, u-*  
*nica tantum potest intelligi, nempe De-*  
*us. Alias vero omnes, non nisi ope con-*  
*cursus Dei exsistere posse percipimus.*  
*Atque ideo nomen substantiæ non con-*  
*venit Deo & illis univoce, ut dici solet*  
*in Scholis, hoc est, nulla ejus nominis*  
*significatio distincte potest intelligi, quæ*  
*Deo & creaturis sit communis. Deus uti-*  
*que solus est Jehova, &c. Eo sensu nulla*  
*creatura est. Deus solus est substantia, quæ*  
*nulla PLANE re indiget ad exsistendum.*

*Alius recte scripsit*, Substantiæ increatæ præ creata ingens hæc est prærogativa, quod illa omni modo per se sine subjecto & causa conservante exsistat; hæc vero causa conservante indigeat sed non subjecto, cui inhæreat. *Sive priora dicantur, sive posteriora*; *idem est*. Nec ullus scrupulus contra Cartesii definitionem moveri potest, qui non eodem jure contra communem aliorum pariter moveri posset. Si dicatur, substantia est res per se existens, vel subsistens, & que callide regeri potest, secundum hanc definitionem creaturas non esse substancialias: adeoque unam esse substantiam. *Nuga*. Heereboord notat Cap. 4. Lib. I. Quæst. I. §. 8. Clarius potest definiri substantia res seu ens reale, quod nullius creaturæ eget opera ut existat, atque in illa sit. *Vel sic*, substantia est res seu ens reale, quod nulli rei creatæ inhæret, ut subjecto inhæfionis. *Si quis nugari & impudenter calumniari vellet*, iterum fingi posset, dolose dici non inhærere rei creatæ ut subjecto, ejus opera non indigere, ac si tacite statueretur unam esse substantiam, cui ut subjecto omnes res ut modi incessent: *Et quis tandem proferret verba, quæ non male interpretando possent depravari?* Gratulor interim Cartesio, quod non adhibuerit Burgersdicii definitionem

tionem, ejus enim hoc est additamentum, substans accidentibus; quod tantum competit finitis substancialiis; minime infinitæ, Deo. Secundum hanc Burgersdicii definitionem Deus non esset substancialia, nam non substans accidentibus. Quæ hic non fuisset speciosa accusandi causa, si Cartesii hæc esset definitio? Tum certe fuisset Atheus. Burgersdicius fatetur, hanc definitionem finitis tantum substancialiis competere. Heereboord ibid. §. 7. notat, hoc additamentum ad definitionem substancialiæ non pertinere. Cartesius vero prudenter ea verba in definitione posuit, quæ in emphasi & simpliciter convenienter Deo, perfectissimæ utique substancialia, sed in minore emphasi etiam omnibus creatis substancialiis.

X XI. Heereboord scribit §. 3. Quærunt Philosophi, quale genus fit ens, an univocum, an analogum, respectu substancialiæ & accidentis? Univocum vocatur, quod æqualiter convenit suis speciesbus; analogum, quod inæqualiter: Scotistæ tenent prius, Thomistæ postrius, & hoc quidem videtur probabilius. Et Burgersdicii & Heereboordii hæc secunda substancialiarum est nota, Substantialiæ dicuntur de aliis synonymos, hoc est quoad nomen & definitionem; quam intelligi-

## 106 CARTESIUS VERUS

telligunt de secundis substantiis non de primis, E. Gr. homo de Petro, Paulo, Johanne &c. Sic format Philosophus aliquem communem conceptum, sub quo mens, sive substantia cogitans creata, & substantia corporea intelligi possent; sive respectu cuius nomen substantiae utriusque univoce conveniat; nimurum, quod sint res, quæ solo Dei concursu egent ad existendum. Sed negat, nomen substantiae Deo & omnibus aliis substantiis convenire univoce. Quod ex præcedentibus jam abunde intelligitur, & est opibodoꝝratov.

XII. Si quæras, cur Philosophus usus sit voce concursus, & non potius conservationis, cum agat de rerum existentia, quam spectat conservatio? facilis est responso, Philosophum solere sepius loqui de concursu ut conservationem complettente, quatenus simul respicit ad modos creaturarum, maximeque ad ipsarum actiones; & vice versa. Hinc scribit Art. 36. Part 2. Deum materiam simul cum motu & quiete in principio creasse, jamque per solum suum concursum ordinarium tantundem motus & quietis in ea tota quantum tunc posuit, conservare. In fine Art. dicit. Deum tantundem motus in materia semper conservare. Sic Art. 39. 42.  
E.

## SPINOZISM ARCHITECTUS. 107

&c. Indifferenter ergo Cartesius bis duabus vocibus usus fuit; quemadmodum etiam in Deo est una eademque operatio, vario tamen respectu considerata. Nihil vero minus sanum, minime vero Spinozisticum quid bini extundi potest. Notandum hic quoque est, vocem univoce minime posse, nec deberi explicari per vocem proprie, ac si Cartesius tantum improprie ceteras res appellasset substantias; nam a Logicis describitur genus synonymum, sive univocum, quod omnibus suis speciebus aequaliter inest, & homonymum quod inæqualiter, uni plus, alteri minus speciebus suis convenit, &c. Nec alia significatio potest verbis Cartesii convenire; nam dicit nomen substantiae DEO ET CREATURIS non convenit univoce. Imo Cartesius addidit ipsam vocis explicationem; ut, vidimus §. 20. Sed sit ita, si vox univoce significat proprie, tum ergo Cartesius mentes finitas & corpora proprie habet pro substantiis; nam scribit Art. 52. vocem substantiae menti creatæ & corpori convenire univoce. 3. Notanda etiam est apertissima perfidia dolus & falsitas, qua ex ipso definitione substantiae de Deo adhibita vox maxime emphatica plane omittatur, que illam vim & emphasis addit, qua definitio Dei soli appropriatur. Nugatur ergo &c.

*& sophisticatur, qui ita dicit; Substantia est, quæ alia re indiget.... Quod alia re indiget, non est substantia. Creatura alia re indiget. Ergo non est substantia. Aut sic, Omnis substantia est absolute a se & per se. Creatura non est a se & per se. Ergo non est substantia. Veritas hæc est, Deus solus est substantia, quæ nulla plane re indiget ad existendum, a se, per se. Definitio in hac emphasi accepta est Deo soli propria. Sed æquivoce & in minore emphasi eadem competit etiam omnibus finitis & creatis substantiis, proprie, non tamen univoce illis & Deo, sic dictis; quatenus quidem Dei conservatione sive concursu egent ad existendum; minime vero aliqua re tanquam subiecto, cui insint & inhærent; qua accidentia indigent.*

v.  
*Que in  
omnibus  
deficit.*

Obtestor cujuscunque lectoris candidi fidem & judicium, an Viri Cl. responsa aliquid ad rationes meas refutandas appositi contineant. Nihil sane in iis, (ubi serio agendum est de beo dicere quod res est) praeter eandem cantilenam, verba, rationes male compositas, ignorationes elenchi, crassæ ignorantia specimina, convitia, similiaque reperio: mirum vero non est, illum mihi non percisse, qui propriam famam & existimationem rei

rei Cartesianæ defensioni sacrificare non detrectavit. Masculi & cordati disputatoris est rem non solum adstruere, sed & omnes difficultates, contra eam motas, solvere, refellere, removere. Possem ego pari modo agere, & hæc omnia, utpote vim mearum rationum haud tangentia, multo minus infringentia, præterire. Ne autem, videar aliquid dissimulasse, vel solliciti timoris plenus, cuncta, vel ulla animadversione digna, examini subjiciam, & quam parum causæ Cartesianæ proflint, ostendam.

Non solum, secundum Virum Cl., vi. definitio Cartesii tolerari potest, sed Id pri- cunctis aliis est præferenda. Sic Vir Cl. <sup>mum</sup> operæ pretium erit heic observare, Cartesium Cl. An- revera substantiae definitionem omnium opti- tagonista offendit, mam proposuisse. Cur obsecro? Cum enim quando (inquit) alii Logici & Metaphysici debue- cari de- rent explicare, quid per se existere, sive sub- finitio- sistere sit, scilicet alii rei non inesse. Carte- nem sub- sius ea verba in definitione posuit, quæ stantia explicat explicatione non egent. Miror & prorsus ob- stupesco, quod Virum Cl. tam apertæ plet. non pudeat contradictionis: meminerit quid ipse paucissimis lineis ante exaraverit §. 19. ubi ita loquitur: *Cartesius hoc modo substantiam, definit Princ. Part. I.* Art.

*Art. 51.* Per substantiam nihil aliud intelligere possumus, quam rem quæ ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum nimis ut subiecto, cui insit; eundemque in finem adhuc allegat aliam substantiæ definitionem, quæ extat *Def. 5. Resp. 2.* Si Cartesii verba nulla egent expositione, cur adhibet ipse Vir Cl. ad ea explicanda tot molimina? Nescitne se ita instituendo magno probro afficeret suum Cartesium, quando ipse id definitioni Cartesianæ surripit, cuius solius nomine, vel ipso teste & judice, cæteris omnibus substantiæ definitionibus palmam præripit? Ecce itaque laudem definitioni Cartesianæ tributam ab ipso laudatore iterum ei ademptam.

vii. Neque hoc nomine definitio Cartesii *Eo igitur* huic Peripateticorum, *substantia est res* ~~per se existens, vel subsistens, est præfrena-~~ ~~mine, quod ex-~~ ~~platio-~~ ~~ne non e-~~ ~~ri-~~ ~~corum~~ ~~substan-~~ ~~tiae defi-~~ ~~nitioni~~ *per se existens, vel subsistens, est præfrena-* ~~re;~~ *quoniam hæc non magis requirit explicationem, quam Cartesiana. Quintimo Philosophiæ Peripateticæ periti sen-* *sum hujus absque ulla explicatione satis commode & sine ullo erroris periculo in-* *telligunt: notandum enim, præpositio-* *nem per non semper æquipollere præpo-* *sitioni a vel ab, causam efficientem de-* *notanti, sed eam significare aliquod ef-* *fentia-*

sentiale, per quod ista essentia existat *non est* consummata: sic res illis dicitur *per præferenda* formam esse, quod est; non quod a forma tanquam a causa efficiente producta sit, vel conservetur, sed per eam habeat suæ essentiæ statum consummatum. Sic homo per corpus organicum & animam ei unitam est homo. Quapropter omnis res, sive increata, sive creata, modo jam habeat plenam perfectionem essentiæ, i. e. tali essentiæ constituendæ sufficiemt, qua ab omni alia re distincta sit, per illam, i. e. per suam essentiam consummatam talis existit, qualis est, & non existit talis per aliud a se diversum, sed per se ipsam; & talis res vocatur substantia, quæ modis opponitur, quandoquidem substantia necessario ad constituendam modorum entitatem concurrere concipitur, & modus nihil aliud est quam ipsa substantia determinata. Quænam igitur est definitionis Cartesianæ præ Peripateticorum prærogativa? Malo tamen, imprimis hisce temporibus, quia omnes eorum verborum sensum, non recte percipiunt, hac phrasi *per se subsistere* abstinere, ne imperiti malevoli inde cavillandi occasionem arripiant. Solum ostendere volui, hanc phrasin, bene perceptam,

ceptam, esse innocuam, nullaque egere explicatione, eique immerito præferri Cartesianam; nisi ab iis, qui ineptias Cartesii laudando, propriæ famæ atque existimationis velint esse prodigi.

viii.  
*Neque indicat modum, quo Deus sit substantia; sed omnem veræ substantiae notio nem ad nititur. Laudari vero (inquit) maxime solum meretur, quod distincte ostendat, quo sensu Deus, & quo sensu omnes aliae res sint substantiae &c.* Persuadere conatur Vir Cl. lectoribus, quod illa verba *nulla re indigere ad existendum* duplēcē fundant sensum, & respectu Dei absentiam causæ & subjecti, respectu vero creaturarum solius subjecti inhæsionis absentiam signifcent. Nescio vero qua fronte istam definitionem hoc nomine commendare atque laudare audeat, cum unusquisque, vel mediocriter attendens ad verba & nēxum, longe aliam hic Cartesio fuisse men-

mentem, clare perspiciat: nempe voluit Cartesius vi suæ definitionis evincere, nullam creaturam vere posse appellari substantiam. Utinam Vir Cl. memor eset seyerae hujus comminationis! *væ illis! qui bonum malum nuncupant, & malum bonum, qui tenebras in lucem convertunt, & lumen in tenebras.* Quem Cartesii scopum, si ipse videre nolit, faciam ut videant alii, imo omnes, qui volentes cæci non sunt.

Extra controversiam est, Cartesium in rerum natura duntaxat admittere duo summa rerum genera, videlicet, substantiam & modum. Extra dubitationis aleam quoque est, non dari inter hæc duo aliquod medium, quod neque substantia sit, neque modus. Constat, illum <sup>Non enim ro-</sup> hic inquire in utriusque naturam, qua <sup>mouv</sup> subje-  
<sup>ctum in-</sup>  
<sup>ceptionis,</sup> <sup>sed can-</sup>  
<sup>sam effi-</sup>  
<sup>cientem</sup> in re illa consistat. Certum etiam est, <sup>& con-</sup> illum hic initium facere a substantia; cu- servan-  
<sup>tem.</sup> jus natura ut rite concipiatur, ejus pro- ponit definitionem, dicitque, id neces- fario ad genuinum substantiæ conceptum pertinere, ut *nulla re indigeat ad existen- dum.* Per hæc verba non respicit subje- ctum inhæsionis, sed causam efficien- tem, & conservantem; quod ostendit, quando digito quasi monstrat istam rem,

## 114 CARTESIUS VERUS

cui omnino ista definitio tribui potest, nempe Deum, utpote causa efficiente & conservante carentem. Nam, quod hic probe observandum, ratio formalis substantiae, secundum Cartesium, in hoc solo, seu in hac perfectione sita est, ut nulla re ad existendum indigeat. Vana autem haec fuisse substantiae definitio, si nulla res extitisset, cui assignari potuisset: ejusmodi ergo rem ostendit Cartesius, quae plane vel omnino nulla re indiget ad existendum, nempe Deum. Quod magis adhuc confirmat oppositione per particulam adversativam vero facta inter Deum & creaturas. Tandem ob istam rationem concludit, nomen substantiae Deo & creaturis non convenire univoce. Qui clarius, qui apertius mentem suam exprimere potuisset? Nam, si per haec verba nulla re indigere ad existendum subiectum inhalacionis intellexisset, cur creaturas hoc nomine Deo opposuisset, cum illae non magis, quam ipse Deus, ejusmodi subiecto indigeant? Cur dixisset, nomen substantiae Deo & creaturis non convenire univoce; siquidem creaturæ æque ac Deus subiecti inhalacionis immunes sunt? Cur postea novam substantiae definitionem finxit, secundum quam,

## SPINOZISM ARCHITECTUS. 115

quam, ne palam Atheus audiret, res creatas etiam substantias vocare posset? Sane nihil est in illa definitione, quod nobis vel minimam desubiecto inhalacionis cogitandi suppeditet occasionem. Sed liberalis sim! dem! ipsum per haec verba nulla alia re indigere ad existendum simul & causam efficientem ac conservantem & subiectum inhalacionis intellexisse; quid tum? An non utrumque simul, videlicet absentia causæ conservantis & subiecti inhalacionis, ad naturam veræ substantiae pertinebit? Si igitur alterutrum absit, res illa, quae alterutra parte definitionis caret, non erit vera substantia, & sic re-apse dabitur naturæ monstrum, nempe res quædam, modo major, & tamen vera substantia minor. Ita nugetur, cui voluere est.

Eo quoque nomine commendat & laudat definitionem Cartesii Vir Cl., quia distincte ostendit, quo sensu Deus, & quo sensu creature sint substantia. Neque nro ambigit, quin essentia Divina, quatenus Divina est, & infinitas perfectio- nes involvit, creaturarum essentias infinitis modis præcellat. Attamen substantia Dei, quatenus abstracto conceptu ab essentia sejungitur, non alio modo con-

x.  
Neque  
substan-  
tia Dei,  
substan-  
tia ab-  
stracto  
conceptu  
intelligi-  
tur, alia  
est quam  
ci-

rerum cipienda est, quam substantia creatura-  
 rum; li-  
 cet essentia  
 alia  
 sit; inter  
 & me-  
 rum sub-  
 stantiae  
 concep-  
 tum,  
 maxi-  
 mum est  
 discri-  
 men.  
 cipienda est, quam substantia creatura-  
 rum. Etenim notandum est, in modo con-  
 ceptu substantiae nullam involvi essentiae  
 perfectionem, vel imperfectionem; sed  
 tantum realem existentiam, in qua tan-  
 tum realitatis est, ut per illam separatum  
 ob omni alia re existat, & non requirat  
 conjunctionem alterius existentiae ad per-  
 fectionem suæ; sive jam illa existentia  
 infinita sit, sive finita sit, nihil refert.  
 Illud quidem verum est, res creatas in-  
 digere divina conservatione: non tamen  
 ut parte quadam essentiali, qua earum  
 essentia consummetur, sed tanquam cau-  
 sa externa, qua earum essentia in exi-  
 stendo perseveret, & tunc non simpliciter  
 spectantur tanquam substantiae, sed  
 cum quodam additamento imperfectionis,  
 videlicet tanquam creatæ & finitæ.  
 Quando igitur id præcise percunctor, u-  
 trumne res substantia sit vel modus, id  
 duntaxat considero an sine subiecto exi-  
 stere queat nec ne; quod si possit, suffi-  
 ciens mihi ratio est rem illam substantiam  
 pronunciandi. Et revera magnum discri-  
 men intercedit inter conceptum essentiae  
 & substantiae; quia essentia concipitur,  
 quatenus res est certo modo determinata,  
 ad hoc vel illud agendum vel patiendum  
 apta,

apta, substantia minime; quare plus in-  
 volvitur in conceptu essentiæ, quam  
 substantiae; hujus simplicior est; illius  
 magis compositus; ideo rerum majores vel  
 minores perfectiones ipsius substantiae ne-  
 quaquam mutant conceptum. Sic res spi-  
 ritualis multo perfectior est re corporea;  
 nullus tamen Philosophus dixerit, ipsam  
 substantiam spiritus substantia corporis  
 esse meliorem, sed essentias esse diversas,  
 quin & contrarias. Ubi igitur præcise de  
 substantia agitur, de Deo non est ea oc-  
 casione agendum, neque talis definitio  
 substantiae proponenda, quæ solam es-  
 sentiam divinam exprimit; & cunctas res  
 alias prorsus secludit: quod cum Carte-  
 sius præststit, veram substantiae notio-  
 nem soli Deo vindicavit, resque omnes  
 alias ea indignas declaravit; quo nomine  
 quam maxime culpari & reprehendi me-  
 retur.

Aliud vero Viro Cl. est effugium, quod  
 querit in adverbio *plane*, quod ideo ma-  
 jusculis literis exaravit, & ob illud in *PLANE*  
 syllogismis meis omissum me perfidiæ,  
 doli & falsitatis incusat. Ohe! grande  
 revera crimen, quod stultus videri no-  
 luerim. Excluditne enunciatio universa-  
 lis negans omnia, ita ut nihil prorsus re-  
 futes?

*excusans* stet? Quod ni faciat, non est universalis. Si dixerim v.c. Petrus per integrum septimanam nullo usus est cibo, vel nullo plane cibo usus est, an non eodemredit? An nullo, seu nihil, potest dari minus. An nullum gradus admittit, nimirum comparativum & superlativum, & dicere possumus nullum, nullius, nullissimum? Quænam hæ sunt nugæ, quæ ineptiæ? Fateor, adverbium plane additum enunciationi universali esse notam majoris asseverationis, & excitare fidem & attentionem audientis vel legentis; ipsius vero enunciationis universalitatem neque extendit, neque coarctat. Invaserit strages oppidum aliquod, vel pagum, qua omnia animalia perierunt; qui hanc calamitatem alteri narrat dicit, nullum animal evasit. Regerit alter, an nullum animal evasit? Respondet narrator, nullum plane animal evasit; non, ut suam enunciationem magis reddat universalem, sed ut majorem mereatur fidem, & enunciationis suæ afferat universalitatem. Profecto indeoles enunciationis universalis negantis consistit in cujuscunque, de quo sermo est, remotione; quapropter, si vel minimum excipiatur, vel supersit, illa erit falsa; & quod talis per enuncia-

tio-

tionem particularem, aut singularem prorsus evertatur, omnibus, qui vel a limine Logicam salutarunt, notum est. Idcirco, cum Cartesius substantiam definitivit per rem nulla re ad existendum indigentem, idem est ac si dixisset, substantia est res, quæ nulla plane re indiget ad existendum; quod vero hæc verba subjungat: *Et quidem substantia, quæ nulla plane re indiget, unica tantum potest intelligi, nempe Deus*, factum fuit ut magis asseveraret, unam tantum esse rem, in quam data substantiæ definitio quadaret, & eam ad illam unicam esse restrin-gendam: & prorsus identi est ac si dixisset, & profecto substantia, quæ omnino nulla re indiget, unica tantum concipi potest. (Etenim rogari potuisset, utrum talis res quidem detur, quæ hoc sensu substantia esset nuncupanda? Imo vero, inquit, estres, quæ plane nulla re indiget ad existendum; sed illa dun-taxat unica est, nempe Deus. Quapropter *plane* hic accurationem definitionis asseverat, & simul ejusmodi rem, cui tribuenda sit, commonstrat.) Quod adhuc clarius patet, quando immediate res omnes alias huic opponit, & hanc definitionem ipsis non convenire ostendit.


Quid vero stultius excogitari potuisset, quam ejusmodi proponere definitionem, qua res plurimæ concipiendæ sunt, & cuius ratio formalis tantum in una re reperitur, sed ejus oppositum in cunctis aliis. Idem profecto eslet ac si vellem dare definitionem Planetarum, & hoc modo instituerem; per planetam nihil aliud intelligere possum quam stellam propria luce terram illuminantem. Et quidem planeta, quæ propria plane luce tellurem illuminat, unicus tantum concipi potest, nempe Sol; cæteri vero omnes non nisi ope lucis solaris terram illuminare posse percipimus. An non sibilo, risu, cachinno dignus forem, nisi id egisssem, ut vi istius definitionis reliquos planetas e planetarum catalogo expungerem? Nihil igitur Viro Cl. præsidii, in adverbio hoc *plane*, nulla in hoc emphasis, nisi ad probandam substantiæ unitatem, esse que revera talem rem, quæ nulla plane re ad existendum indiget: quare dubitavi anne & ego, cum mihi plus faveat quam Viro Cl., illud *plane* majusculis literis, ut majore cum pompa prodiret, lectori exhiberem; sed omittam; quandoquidem sine eo rem meam satis confidere possum.

xii. Nimium vero Vir Cl. causam Carte-  
Conces- fia-

sianam, quam tantopere tueri conatus *fit quo- fuit*, prodit, quando §. 22. ita scribit: *que ni- mium V.*  
*Nam a Logicis describitur genus synony- Cl. quan- mum, sive univocum, quod omnibus suis do dicit, speciebus æqualiter inest; & homonymum substan- quod inæqualiter, uni plus, alteri minus, tiae defi- speciebus suis convenit, &c. Nec alia signi- nationem ficatio potest verbis Cartesii convenire. Et Deo & paulo post: *Definitio in hac emphasi accepta* creaturis *est soli Deo propria. Sed æquivoce & in mi-* tribui & *nore emphasi competit etiam eadem omnibus* quivoce. *finitis & creatis substantiis, proprie, non* tamen univoce illis & Deo, sic dictis. Si Vir Cl. probe noverit, quid hic con- cedat, lis nostra finita erit; quia reapse ultro fatetur, solum Deum esse veram & proprie dictam substantiam, res vero crea- tas duntaxat nomine tenus. Intelligamus ex Cl. Burgerfdicio & Heereboord, quid sit genus æquivocum, sive homonymum, & quid sit dici æquivoce. Ita prior Cap. 26. *Instit. Log. Libr. I. Homonyma dicuntur, quo- rum nomen solum commune est, & ratio es- sentiæ communis nomini accommodata.... Ex. gr. animal est nomen commune homini & be- stiæ, nec tamen est homonymum. Etsi enim alia sit hominis, alia bestiæ definitio, qua- tenus nominibus discrepant: in una tamen de- finitione convenient, quæ communis nomini**

*animalis respondet. At si animal referatur ad vivum & p̄itum, homonymum est, quia nulla definitio vivo animali & p̄itō communis est communi nomini animalis accommodata.* Posterior in Quest. 2. & Notis ad idem Caput. Ibi rogatur, quid est vox homonyma, sive æquivoca? Et respondetur, quæ res significat, quibus ratio essentiæ, sive definitio, communi nomini accommodata, est diversa. Conveniunt vox synonyma & homonyma in eo, quod utrobique una vox significet res plures: differunt in eo, quod sub voce synonyma detur quoque una definitio, communis pluribus rebus significatis: at in voce homonyma non item: sed ibi totuplex datur definitio, quotuplex est unius vocis homonymæ significatio: ita alia est definitio cancri, prout hæc vox significat morbum: alia, prout animal: alia prout fidus &c. Hæc præsenti applicemus negotio. Cartesius & Deum & res creatas communi nomine vocat substantias. Quî vero, univoce, i.e. ut eadem substantiæ definitio conveniat Deo & creaturis? Minime gentium: nam aliter definit substantiam respectu Dei; quæ ipsi tunc est res, quæ nulla plane re indiget ad existendum: aliter respectu rerum creatarum, quæ ipsi tunc est res, quæ solo Dei concursu indiget ad existendum.

Hic



Hic sunt duæ substantiæ definitiones, non solum diversæ, sed plane sibi mutuo oppositæ. Dixerat tamen quando in genere in naturam substantiæ inquirebat, nos per substantiam nihil aliud posse intelligere, quam rem, quæ nulla alia re ad existendum indiget. Hæc tamen secundum ipsum est genuina veræ substantiæ, in genere consideratae, definitio; hanc soli Deo tribuit; alteram rebus creatis, quas quoque vocat substantias, non quod illis genuina veræ substantiæ, in genere consideratae, definitio tribui queat; (illis enim ceu spuriis, aliam prorsus supposuit definitiōnem) sed ob aliquam apparentem similitudinem, vel ne nimis ab usu recepto recederet, & ita in multorum offensam & indignationem incurreret. An igitur, quia Cartesius æquivoce res creatas substantias appellavit, cogitandum erit, illum eas pro veris substantiis habuisse? Profecto non magis, quam, si quis fidus aliquod æquivoce canem vocat, existimandum est, illum illud fidus pro vero cane habere.

Instabit tamen Vir Cl. dicendo, genus *xiii.*  
æquivocum esse, quod inæqualiter spe-  
ciebus suis convenit. Fateor, ita defini-  
*Quæ-  
doqui-  
dem ge-  
nus æqui-  
ditat*

vocum unius peciei, quo ad rem alteri duntaxat nomine tenuis competit. dicit conceptum alicujus essentiæ; essentia tamen consistit in indivisibili: quapropter impossibile est ut per partes, vel gradus, speciebus suis tribuatur: quod enim prorsus indivisibile est, vel totum, vel omnino non, alteri tribuendum. Præterea pro canone habent Logici, totam naturam generis esse in specie, quod falsum esset, si genus suis speciebus inesset inæqualiter. Hanc ob causam ipse Cl. Heereboord, qui notas scripsit in Logicam Cl. Burgersdicii, ex qua hoc genus æquivocum habet Vir Cl., hanc generis divisionem plane, tanquam ineptam, prætermisit; & ipse Cl. Burgersdicius hanc divisionem in suo commentario corrigit, ubi sic scribit: *genus æquivocum imperfecto modo genus est, & ab Aristotele Libr. 3. Metaph. Cap. 2. quod respectum habet ad unum, & ad unam aliquam naturam. Quod quamvis non sit univocum, negat tamen Aristoteles, illud penitus esse æquivocum.* Hæc vero generis distributio in univocum & analogum, non æquivocum, quod nihil generis significat, introducta fuit ob diversam substantiæ & accidentis naturam; & quod notandum, illi Philosophi, qui hanc divisionem propugnant, sere veram negant accidentium entitatem,

tem, & dicunt non esse entia, sed aliquid entis; ipse Aristoteles fere semper accidentia vocat ἔντειον ὕπαρχα, entis entia. Referente Anton. Le Grand. *Instit. Phil. Cap. vi.* modi vocantur a moderno quodam Philosopho *entis appendicula*. Ipse *Part. 4. Cap. 8. Sic existimandum est, substantiam solam propriæ ens esse, cætera autem analogice tantum & prout ad illam referuntur.* Attendat Vir Cl. quam immanis sit inter species generis analogi differentia; quanta igitur non erit inter species generis æquivoci, cuius una species ipsam rem, altera solum tantum nomen possidebit: si igitur substantia respectu Dei & rerum creatarum sit genus æquivocum, solus Deus erit substantia, creaturæ vero nihil aliud quam istius substantiæ volitantes umbræ. Quid vero renitur Vir Cl.; cedat suo Cartesio, diserte hæc verba scribenti, nullam substantiæ nominis significationem distincte posse intelligi, quæ Deo & creaturis sit communis. Si ne quidem vero sensu & proprio veræ substantiæ nomen rebus creatis tribui queat, multo minus res ipsa. Hinc patet quoque quam accurate loquatur Vir Cl., quando dicit, rebus creatis æquivoce tribui substantiæ nomen, & tamen proprio; hæc captum meum superant. Li-

xiv. Licet vero Vir Cl. sententiam genuinam Cartesii agnoscere nolit, sunt tamen inter Cartesianos Viri perspicaces & eruditæ, qui id palam confiteri non erubescunt. Fuit mihi præterita æstate sermocum quodam Reverendo V. D. Ministro, Viro erudito, partibus Cartesii addicto, qui olim Cl. de Volder usus erat Praeceptore; inter alia dixi, Cl. de Volder multis de Spinozismo fuisse suspicetum, quod admodum ægre tulit Vir venerandus, mihique succensuit. Tum ego, dic mihi bona fide docuitne te Cl. de Volder e Cartesio, unicam tantum esse substantiam? Regessit ille quadamcum vehementia, quid aliud docuisset? unica tantum est substantia & esse potest, illudque tanquam certum aliquod, evidens, & notum magna cum fiducia afferuit. Hoc antehac quam luculentissime demonstraveram, & etiamnum contra omnes Viri Cl. exceptiones, interpretationes, & distinctiones clarissime demonstro: nihil hic moror, quæ hic ob ipsius rei conditionem admitti nequit, inanem emphasin, multorum ad incitas redactorum hodie refugium. Concludo, me summa injuria vocari impudentem calumniatorem, perfidum, dolosum, fraudulentum, ob hunc syllogismum: Substantia

tia

tia nulla re indiget ad existendum. Res creatæ re quadam indigent ad existendum. Ergo res creatæ non sunt substantiæ. Si in hoc syllogismo non acquiescat Vir Cl. & urgeat ut addam vocem maxime emphaticam *plane*, reformabo syllogismum, (malo enim stolidus videri, quam perfidus & dolosus) & jam ita argumentabor. Quodcunque vere substantia dici potest, nulla plane re indiget ad existendum. Res creatæ omnino re quadam indigent ad existendum. Ergo res creatæ non sunt substantia. Major est ipsius substantiae definitio, a Cartesio data, cui jure addo *plane*; quia dicit non aliter posse concipi substantiam, quam rem nulla alia re ad existendum indigentem: si *nulla alia re* indigeat, ergo nulla plane re; haec coincidunt. Majorem nunc ex ipso Cartesio confirmavi. Minor ex ipsius Cartesii verbis non minus certa: nam res creatæ egent concursu divino, & concursus est haud dubie aliquid; ergo egent re quadam. Omnia hic sunt plana, candida, aperta, bona fide posita. Ubinam perfidia? ubi fraus? ubi dolus? ubi falsitas? horum vel minimum ostendat. Ubi nungor? ubi sophisticor? An debui *plane* ponere in definitione substantiæ, quod adver-

verbium ibi ipse, quamvis verba æquipollentia adhibeat, omisit Cartesius? An vel minimum in ipsius verbis mutavi? Haud quoque detorsi sensum Cartesii, quando dixi, illum in hac definitione spectasse solam causam efficientem & conservantem, quod liquido appareat, & ex oppositione, quam instituit Deum inter & res creatas, & e ratione quam reddit, cur nomen substantiae Deo & creaturis non conveniat univoce; nempe ratio formalis istius definitionis, nulla alia re, i. e. causa efficiente & conservante, indigere ad existendum soli Deo competit; creaturis prorsus contrarium; ideoque, quia ista definitio soli Deo tribuenda est, rebus creatis non item, ideo quoque nomen substantiae Deo & rebus creatis non convenit univoce, imo, ut posteriora ejus verba satis innuunt, nequam. An hic ulla subjecti inhæfionis est mentio, vel quicquam hic occurrit, quod nobis de eo cogitandi ansam suggestat? Ne hilum quidem. Sed cum Vir Cl. nihil solidi haberet, quod regereret, indignabundus in me convitia evomere voluit, quibus lectorum, imperitorum saltem, oculis nebulas obduceret, ne quid rei sit, clare cernerent. Hisce autem

tem non commoveor, sed insto, urgeo, postulo, ut hoc argumentum rite solvat, vel manus det. Concludo, ex his omnibus patere, quod Cartesius tantum unicam agnoverit substantiam. Q. D. E.

Animadverteram quoque in hunc Cartesii loquendi modum, quod res creatæ ope concursus Dei existant: fateor novantium phrasēs, ubi ab usu recepto abscedunt, mihi semper esse suspectas, imprimis si virus Spinozisticum commode solo Dei sub ipsis occultari potest. Quapropter Metaph. Repurg. Cap. v. §. 8. hunc in modum fatus sum. Mira profecto phrasēs, gravissimæ substantias existere ope concursus Divini, cum mas ratiocinatus, qua actus Dei, nunquam a Theologis vel Philosophis ad rerum essentias, sed valde est ad earum operationes referatur; quod ipsum, utpote modorum loquendi satis peritum, latere non potuit. Ea vero Philosophis concurrere ratione essentiæ alicujus dicuntur, que una convenienter & requiruntur ad constitutandam aliquam essentiam; idcirco hujus phrasēos genuinus sensus optime hic haberi posset, quod essentia Dei, tanquam radix & fundamentum omnis, venia fit verbo, substantialitatis rerum altiarum fit concipienda, easque non instar substantiarum concipi posse, nisi quatenus illi uni substantiæ insint, &

Hic loquendi modus, quod res creatæ ope concursus Dei existant, propter gravissimæ substantias existere ope concursus Divini, cum mas ratiocinatus, qua actus Dei, nunquam a Theologis vel Philosophis ad rerum essentias, sed valde est ad earum operationes referatur; quod ipsum, utpote modorum loquendi satis peritum, latere non potuit. Ea vero Philosophis concurrere ratione essentiæ alicujus dicuntur, que una convenienter & requiruntur ad constitutandam aliquam essentiam; idcirco hujus phrasēos genuinus sensus optime hic haberi posset, quod essentia Dei, tanquam radix & fundamentum omnis, venia fit verbo, substantialitatis rerum altiarum fit concipienda, easque non instar substantiarum concipi posse, nisi quatenus illi uni substantiæ insint, &

*ea concurrit ad earum essentiae constitutionem.* Quid ad hæc responderit Vir Cl. ex iis, quæ paulo ante §. iv. integra exhibui, videri potest. Ordo nunc exigit ut ea per partes penitus examinentur, lectorque videat utrum satisfaciant nec ne. §. 22. Si quæras, (infit) cur Philosophus usus sit *vōce concursus*, & non potius conservatio-*nis*, cum agat de *rerum existentia*, quam spectat conservatio? facilis est responso, *Philosophum solere sapient loqui de concursu ut conservationem complectente, quatenus simul respicit ad modos creaturarum, maximeque ad earum actiones*; & vice versa. Hic non quæritur qui loqui soleat Carte-*sius*, sed qui debeat: qui sentit cum aliis, etiam cum iis loquatur; & plerunque verum est, illum, qui aliter loquitur, etiam aliter sentire. Sed loquitur de con-*cursu ut conservationem complectente*, ait Vir Cl. Dico vero, quod natura est posterius, non potest id complecti, quod est natura prius; neque actus, pro modo nostro concipiendi, & respectu effectus, transitiorius sub se comprehendere potest actum perennem & permanentem: ceteroquin minus complectetur majus, quod absurdissimum esset. Nunc allegat e Cartesio loca, quibus probet, illum has

has voces promiscue usurpare. *Hinc scribit* (ait) Art. 35. Part. 2. *Deum materiam simul cum motu & quiete in principio creasse, jamque per solum suum concursum ordinariū tantundem motus & quietis in ea tota quantum tunc posuit conservare.* In fine Art. dicit; *Deum tantundem motus in materia semper conservare.* Sic Art. 39. 42. &c. In-*differenter ergo Cartesius his duabus vocibus usus fuit; quemadmodum in Deo etiam est una eademque operatio, vario tamen respe-ctu considerata.* Si scire aves lector, quid Cartesius per concursum ordinariū tan-*tundem motus conservantem intelligat*, inspice Epist. 72. Part. 1. & ibi hæc verba invenies: *Vis autem movens potest esse ipsius Dei conservantis tantundem translatio-nes in materia, quantum a primo creationis momento in ea posuit: vel etiam substantia creatæ, ut mentis nostræ, vel cuiusvis alterius rei, cui vim dederit corpus movendi, & quidem illa vis in substantia creatâ est ejus modus, non autem in Deo; quod, quia non ita facile potest intelligi, notui de istare in scriptis meis agere ne viderer eorum fave-re sententiae, qui Deum, tanquam animam mundi materię unitam, considerant.* Hic habemus mysterium Cartesiani concur-*sus*, quod non ausus fuit revelare, sed fere

fere ad mortem pectore pressit: nam deum post mortem ejus hæc epistola inter ejus manuscripta fuit reperta. Usus fuerit indifferenter vocibus concursus & conservationis, iis perperam ita usus est & in malum finem. Sit a parte Dei eadem operatio, est tamen variæ denominationis certa ratio, quam si nobis pro lubitu mutare liceat, quidvis potest vocari quodvis. Tam facilem, qualem se hic erga Cartesium præbet, ego, quando pro præcursoru conservationem posueram, Virum Cl. non fui expertus, sed, si potuisset, ut inter heterodoxos comparuissest nomen meum effecisset. Tandem rogit, quid minus sani, quid Spinozistici hinc queam extundere? Tundendo me non fatigabo, at levissima opera hinc aliquid Spinozistici eliciam. Notum est, Spinozam statuere divinam essentiam per attributa sese exerentem, atque per istam operationem illa attributa recipere modos, quatenus jam per istas modificationes operatur, eatenus cum istis concurrit, & sic per istum concursus modi existunt. Vide jam Vir Cl. quam occasionem male de Cartesio supicandi vox concursus, pro voce recepta conservationis posita, præbeat: nam

fi

si voce conservationis usus fuisset, magis fuisset visus res ab essentia divina distinctas agnoscere; ast cum adhibet vocem concursus, facilius potest tueri operationem Dei circa suorum attributorum modos, per quos aliquid fit; qua operatione simul maneant in eodem statu; & ita conservatio erit effectus concursus, & eo posterior. Et id aperte profitetur, quando in Articulo 36. a Viro Cl. allegato scribit, Deum per ordinarium suum concursum tantudem motus, quantum a principio in ea posuit, in materia conservare.

Ferme oblitus fuisset examinis alterius definitionis, quam de substantia proposuit Cartesius *Resp. 2. Def. 5.* ex qua Vir Cl. supplere fategit defectum primæ definitionis, sed prorsus incassum; e Cartesio contra eo mihi gladium ipse suppeditat, quo ipsum jugulem, cum Cartesius ibi declareret, se pro substantia habere omne reale, quod alicujus proprietatis, qualitatatis, attributive est subjectum. Inspiciamus verba: *Omnis res cui inest immensibilis judeate, ut in subiecto, sive per quam existit et aliiquid quod percipimus, hoc est, aliqua proprietas, sive qualitas, sive attributum, cuius realis idea in nobis est, vocatur substantia.*

I 3

xvi.  
Tertia  
*Substan-*  
*tiae defi-*  
*nitionis a*  
*Cartesio*  
*Ref. 2.*  
*Defin. 5.*  
*propria*  
*Cl. Au-*  
*tagoni-*  
*flam ni-*  
*ciamus verba:*  
*Omnis res cui inest immensibilis judeate, ut in subiecto, sive per quam existit et aliiquid quod percipimus, hoc est, aliqua proprietas, sive qualitas, sive attributum, cuius realis idea in nobis est, vocatur substantia.*

tia.

tia. Neque enim ipsius substantiae præcise sumptæ aliam habemus ideam quam quod sit res, in qua formaliter, vel eminenter existit illud aliquid quod percipimus, sive quod est objective in aliqua ex nostris ideis; quia naturali lumine notum est nullum posse esse nibili reale attributum. Itane? an omne illud substantia est, quod alicujus proprietatis, qualitatis, attributive immediatum est subjectum? Sic non minus quadrabit hæc definitio in accidentia & modos, qui etiam quorundam attributorum, proprietatum, qualitatumque subjecta sunt, quam in veram substantiam. Consideremus motum, qui est vel tardus, vel velox, rectilineus, vel circularis, reflexus aut refractus; estne motus harum qualitatum, proprietatumve, nempe velocitatis, tarditatis, refractionis, reflexionis, &c. immediatum subjectum? Ergo juxta hanc definitionem motus erit substantia. Imo tam late patet hæc substantiæ definitio, ut omne, quod prorsus nihil non est, substantia vocari queat, ut patet ex ratione subjuncta, quia ratione naturali, sive lumine naturali notum est, nullum nibili posse esse reale attributum. Excogitavit igitur iterum hanc substantiæ definitionem, ut illas definitio-

nes,

SPINOZISM ARCHITECTUS. 135  
nes, ad declinandam offensam, ubi e res sua foret, veræ posset substituere: sunt enim ipsi substantialitatis, i.e. rationis, ob quam aliquod substantia dici mereatur, tria fundamenta, & sic introduxit triplicis ordinis substantias. Primi ordinis est, quod nulla re indiget ad existendum. Secundi, quod solo concurso Dei ad existendum eger. Tertii, quod immediatum est subiectum alicujus proprietatis, qualitatis, attributive. Vide, quam circa conceptum substantiæ titubet atque vacillet. Animadversione quoque dignum est, quod hoc nomine mentem & corpus vocet substantias, ut patet e definitione 6. & 7. huic immediate subjunctis. Commodo etiam Spinoza cogitationem & extensionem secundum hanc definitionem Cartesianam substantias appellare potuisset: sunt enim subjecta diversorum attributorum, qualitatum, proprietatumve; sed, licet impie & profane egerit, tamen hac in parte quam Cartesius egit magis candide & prout sensit locutus fuit. Si Vir Cl. cum quibusdam Cartesianis dicere vellet, res creatas non esse simpliciter, sed secundum quid substantias; regerem ego, istum loquendi modum, utpote quo res creatæ quam facillime in attributa & mo-

I 4

dos

dos degenerare quirent, mihi valde esse suspectum. Si dicat, Deum esse perfectiorem substantiam substantiis creatis; respondeo, istam phrasin esse ambiguam; id verum esse, si sub nomine substantiae comprehendatur ipsa essentia; non, si sola substantia in abstracto spectatur: quare si hic scrupulus quidam remaneret, quamvis, quia hic nulla essentialis perfectionis aut imperfectionis habetur ratio, sed solius notionis substantiae in se & abstracto consideratae, nullus revera sit, multo satius & tutius foret Deum, ut quidam Peripatetici faciunt; quia (ut ajunt) finiti ad infinitum nulla est proportio, sub categoria substantiae non comprehendere, vel illum cum Dyoniso supersubstantiam nominare, quam fingere notionem substantiae soli Deo convenientem, cuius vi omnes res creatae necessario verae substantiae natura excludantur & priventur. Id tamen non praeslitit Cartesius: nam perquirens, quid esset tale quid, quod mereretur substantiae nomen, non consideravit rem aliquam singularem, sed in genere, vel abstracto, fatente & commonente ipso Cl. Viro, attendit ad lumen naturae qualiter id genuinae substantiae notionem fugit.

gereret, eamque deprehendit talem, quod substantia necessario talis res esse debeat, quæ nulla alia re ad existendum indiget: hac vero substantiae notione reperta, circumspicit, utrum talis res uspiam existat, cui haec tribui posset, qualiter nuspian inter res creatas reperit, sed tandem solum Deum ea dignum esse diserte afferit: neque hic jejunæ & frigidæ emphasi ullus locus, ac si ratio formalis substantiae foret divisibilis, gradusque, contra omnem Philosophantium communem consensum, ipsiusque rationis dictamen, admitteret; quandoquidem ipse Cartesius id expresse cavit ex cogitando dandoque rebus creatis aliam substantiae notionem, a priore quam maxime alienam, quam effingere nec debuisset, nec potuisset, si adeo fuisset stolidus, ut putavisset aut docuisset, priorem simul Deo convenire & creaturis, Deo quidem in plena, creaturis vero in minori emphasi: cui enim bono multiplicare substantiae definitiones, quando una sola, sed vario sensu considerata, totum negotium commode quit confici? Et ipsum Virum Cl. rogatum velim, num cogitatio, in se spectata, quatenus solum spectatur illud formale cogitationis, quod

I 5 cogit-

cogitationem proprie constituit, num (inquam) illa æque creaturis fit tribuenda ac Deo, & an Deus in majore emphasi hac ratione vocetur cogitatio, quam mens? Verum quidem est, quando cogitatio, seu genus, distribuitur in species, quod tunc ratione utriusque speciei aliquid addatur, quod se habet per modum partis Metaphysicæ, per quod species una plane quid diversi ab altera evadat; sed id nequaquam quid mutat in natura ipsius generis, per quod id, unius speciei minus, alteri magis, competit. Sic ex. gr. Deus definitur cogitatio perfectissima, aut infinita: mens cogitatio finita. Illud quidem infinitum modum cogitandi extendit atque extollit; finitum vero restringit & deprimit cogitandi modum: sed nihil in ipsa cogitatione, præcisè qua tali spectata, mutat, nihil ei addit, nihil adimit. Una species quidem ab alia multum differt; non vero per genus, quod idem est, sed per differentiam specificam, quæ generi addita aliam speciem, aliam prorsus essentiam constituit, quæ ob additam differentiam specificam major vel minor, perfectior, vel imperfectior est. Hoc non latuit Cartesium quando nostram libertatem pronunciavit

tan-

tantam, quanta est ipsius Dei; non, inquit, respectu omnimodæ perfectionis, sed solius rationis formalis libertatis, quæ in eo consistit ut idem facere vel non facere possimus, & id (infit) æque in nobis ac in Deo reperitur. Cum itaque Cartesius videret, definitionem substantiæ realis neutiquam ad res creatas pertingere posse, effinxit definitionem substantiæ nominalis, quæ cogitationi & extensioni esset communis. Hinc infero; qui ejusmodi substantiæ definitionem, quam ipsum naturæ lumen dictavit, soli Deo tribuere debuit, cunctis vero rebus creatis illam denegare coactus fuit, &, ut nomine tenus substantiæ appellarentur, alias substantiæ definitiones debuit excogitare, ille tantum agnovit unicam veram & genuinam substantiam. Id fecit Cartesius. Ergo unicam veram & genuinam tantum agnovit substantiam. Q. D. E.

Notaveram in Tractatu meo vernaculo, notam distinctionis realis, quam posuit Cartesius in eo, quod unam rem absque altera clare & distincte percipere possumus, etiam apprime interfervire Spinozæ erroribus, & ostenderam exemplo figuræ & motus, cuius unum sine alio clare & distincte, quamvis ejusdem corpo-

xvii.  
Merito  
quaque  
Cartesi-  
um de  
Spino-  
zis mo  
sus pe-  
ctum

ris

*reddit nota distinctionem modalem* *realis.* ris modi sint, percipi possunt. Respondeat §. 39. Vir Cl. *Ineptum esse heic objiceret,* motum *etiam sine figura rotunda concipi posse;* *inter quos idcirco intercedere distinctionem* *modalem Philosophus doceat.* Utrum distinctionis, quae intercedit inter duos unius substantiae modos, vocanda sit realis, an vero modalis, hic non anxie perquiram: mihi videtur ea omnino realis; quia intercedit inter duas res distinctas, & non solum una sine altera clare & distincte percipi potest, sed & esse. Haec autem in praefens missa facio: eo duntaxat collineo, anne sub hac nota distinctionis realis Spinozistica fraus commode latere queat? Voluerit v. c. Cartesius cogitationem & extensionem ad eandem illam unicam substantiam pertinere, vi hujus notae semper dicere potuit, eas res esse realiter distinctas, quia earum una absque altera clare & distincte percipi potest, sed non esse; siquidem unius substantiae sint attributa, aut modi naturales. Et hanc distinctionem realem duntaxat extendit ad res singulares, quod facilime quoque concedet Spinoza: (hoc enim respectu una non solum sine altera concipi, sed & esse poterit;) nusquam, saltem quod memini, ad cognitionem &

ex-

extensionem in genere; si vero diceret, cogitationem in genere posse esse sine extensione in genere, tunc quodammodo satisfaceret; sed quoniam unicam duntaxat ponit veram substantiam, ubinam tandem istis tenerimis, sic dictis, substantiis collocandis extra unicam istam substantiam locum sit reperturus, plane ignoro.

Unicus restat lectori scrupulus eximendus: nimis. qui possem Cartesium istius criminis accusare, quod unicam tantum statuat substantiam, cum mox Art. 52. loquatur de substantiis creatis. Sed refutatio pondeo. 1. Vocem substantiae saepe latissime sumi, & quidem ita late ut ipsa accidentia ipsique modi nomine insigniantur. Id notat Cl. Wittichius *Antitrarianus spin. pag. 21.* Res enim aliqua vel vere est substantia, per se, uti Deus, Mens, Corpus, vel nostro removentium considerandi modo, ut figura quadratur, motus &c., quatenus habent aliquam certam formam, rationem, naturam, essentiam, quae equipollent substantiae late acceptae, adeo ut substantia late accepta idem sit quod rei alicuius essentia, & c. Aristoteles dixit, forma, natura. Atque hacten una eademque res potest substantia dici, potest etiam accidens appellari. Et si attendamus ad hunc Ar-

XVIII.  
Scrupu-  
lus, qui  
e locu-  
ne Car-creatis  
substan-  
tis posset  
in con-  
signantur.Anti-  
trarianus

spin. pag. 21.

Res enim  
aliqua vel  
vere est  
substantia,  
per se, uti  
Deus, Mens,  
Corpus, vel  
nostro remov-

entium

Articulum 52. deprehendemus, nomen substantiae a Cartesio sumi in latissimo significatu, & per substantiam & rem existentem illum prouersus idem intelligere. 2. Sed majori jure sensu Spinozistico res singulares substantias & quidem creatas, vocare potest. Etenim illae sunt Attributi cogitantis & extensi certae modificationes; Attributa illa sunt substantialia, & aliquid substantiarum continent: nam, ut Spinoza statuit, *Ethic. Part. 1. Propos. x.* Unumquodque substantiae unius attributum per se concipi debet. Et in *Scholio*, unumquodque realitatem, sive esse substantie exprimit. Sic ipse Cl. Wittichius *Antispin.* pag. 16. Habent autem haec realia attributa hoc iterum commune, quod ratione sui subjecti semper aliquam notionem substantiae involvant. Cum itaque singularia istorum attributorum modificationes sint, & ex ipso attributa involvant, ea ratione commode substantiae appellari possunt, & quoniam istae modificationes initium habuerunt, &, cum non essent, factae sunt, substantiae creatae nuncupantur. Et haec egent concursu unicæ istius substantiae, sine quo ne momentum quidem existere queunt.

xix. Satis superque evici, Cartesium unicam duntaxat posse statuere substantiam.  
Tandem Ne

Ne tamen quis ulterius ogganniat, & fri- <sup>nnicam</sup>  
volis exceptionibus lectores a veritatis <sup>tantum</sup>  
perceptione avertere conetur, id, ut u- <sup>posse ag-</sup>  
nusquisque, sive volens, sive nolens, ag- <sup>noscere</sup>  
noscere teneatur hanc veritatem, mathe- <sup>Cartesi-</sup>  
maticae demonstrabo. <sup>um, Ma-</sup>  
<sup>themati-</sup>  
<sup>ce de-</sup>  
<sup>monstra-</sup>  
<sup>tur.</sup>

*Axiomata.*

1.

Quocunque aliquam realitatem habet, vel  
eam habet a se, vel ab alio.

2.

Contradicitoria, respectu ejusdem tertii, una  
confundere nequunt.

3.

Quod omnem realitatem habet a se, eamque  
possidet, unicum tantum esse potest.

*Definitio.*

Substantia est, que nulla re indiget ad exi-  
stendum.

*Postulata.*

1.

Independens nullam realitatem ab alio acci-  
pere potest; & viciissim.

2. Nul-

2.

*Nulla re indigere ad existendum, & sibi ad existendum sufficere, plane idem est.*

*Propositio I.*

*Substantia est independens.*

*Demonstratio.*

Substantia nulla re indiget ad existendum (per Definit. 1.) sibi itaque ad existendum sufficit. (per Postul. 2.) Quod sibi ad existendum sufficit ab alio, quia haec contradictoria sunt, nihil ad existendum accipit. (per Axiom. 2.) Quod ab alio nihil, sive nullam realitatem, ad existendum accipit, id est independens. (per Postul. 1.) Ergo substantia est independens. Q. E. D.

*Propositio. II.*

*Substantia tantum unica esse potest.*

*Demonstratio.*

Substantia est independens. (per præced. Propof.) Quod est independens nullam habet realitatem ab alio (per Postul. 1.) Habet ergo eam a se (per Axiom. 1.) Quod omnem realitatem habet a se unicum tantum esse potest. (per Ax-  
iom,

iom. 3.) Ergo substantia tantum unica esse potest. Q. E. D.

**Caput VII.**

**S U M M A R I U M.**

Cartesius etiam in Deo statuit agendi, ratione actionis transiuntis, necessitatem. I. Quod patere videtur ex eo, quod banc quæstionem parvi faciat, & ex ipsa voluntatis definitione. II. Clarius adhuc e quibusdam ejus verbis certissima consequentia id elicetur. III. Hunc in finem ea ad summa quædam capita reducuntur. IV. An Deus juxta Cartesium vera hujus mundi causa efficiens dici queat? inquiritur. V. Leges naturæ, quas statuit Cartesius, quoque Dei actionem necessariam reddunt. VII. In primis, quia ex e Dei perfectionibus derivantur. VII. Ac proin ei sunt naturales. VIII. Quod Cartesium velle, demonstratur. IX. Quamobrem etiam vult, Deum in operando ab iis recedere non posse. X. Secundum banc

K

hanc hypothesin Deo eripitur ipsa contradictionis libertas. xi. Ex ea quoque sequitur cuncta ad Deum pertinere XII. Responso Cl. Antagonista ad hæc. XIII. Quid Cartesius pluribus in locis contrarium docet, & protestatio facto contraria nulla est, ideo non satisfacit hæc responso. XIV. Leges naturæ, a Cartesio inventæ, omnino faciunt Deum agens necessarium. XV. Quod non eluditur dissimilibus exemplis, a Cl. Antagonista allatis, contrarium vero demonstratur. XVI. Sententia Cl. Wittichii, ceu vera Cartesiana, afferitur. XVII. Exceptioni occurritur, & ostenditur, quamvis in aliud extrellum abire videatur Cartesius, idem tamen, salvus quoque his principiis, statuere potuisse. XVIII. Neque error ejus affrui orhodoxiam. XIX.

I. **P**rimam, qua nituntur nefandi Spinozæ errores, columnam, nempe unicam tantum posse esse substantiam propriæ dictam, a Cartesio fuisse suppeditatam, satis solide, fuse, & luculenter demonstratæ, mon-

monstravi, eaque, quibus Vir Cl. meorum argumentorum vim eludere conatus actionis fuit, omnia penitus fustuli atque removuntis, novisque instantiis sententiae meæ, cessatione solum probabilitatem, sed & necessariam veritatem quam clarissime ostendi. Nunc transeo ad alteram Spinozismi columnam, nimirum, Deus esse agens necessarium, eamque etiam in Cartesio inveniri, certis & infallibilibus consequentiis ex ejus scriptis demonstraveram; quod argumentum, cum Viro Cl. visum fuerit quoque illudarrodere, in integrum restituam, fortius astringam atque urgeo.

Pedetentim ad istud probandum fueram progressus. Primo, admòdum esse probabile, jam addo plus quam probabile. Cartesium in istam sententiam propendere, ostenderam ex Epist. 54. Part. 2. quod ubi hæc ejus verba extant: *Ex eo quod hanc scripti indifferentiam in nobis potius defectum quæstio esse, quam libertatis perfectionem, non se-quitur rem eodem modo se in Deo habere;* & ex ipso neque tamen novi esse de fide, quod Deus sit a liber-indifferens. Defendit se hic contra istam tatis accusationem, quod ex eo, quod de libertate erat Philosophatus, necessario deberet sequi, Deum quoque non esse

indifferentem; quæ tamen sequela ex ejus de libertate doctrina necessario sequitur: nam scripserat *Med. 4.* quod nostra libertas, quæ quoad rationem suam formalem tanta est, quanta ipsius Dei, in eo tantum consistat, *quod ad id, quod nobis ab intellectu proponitur affirmandum vel negandum, prosequendum vel fugiendum, ita feramur, ut a nulla vi externa nos ad id determinari sentiamus.* Si itaque natura libertatis in eo tantum consistat, ut in id, quod nobis ab intellectu proponitur, prout illud objectum exegerit, sponte feramur, nulla unquam erit in voluntate indifferentia, & prorsus hæc opinio cum Spinozæ sententia coincidet; nimirum, affirmationem & negationem, appetitum & fugam in ipsius rei idea contineri. Sic admodum convenienter scripsit Cl. Wittichius, Deum non aliter potuisse velle, quam voluit; quia semper debet velle optimum. Negat Cartesius quidem consequentiam, sed non ipsum consequens, quod tanquam verum aliquod, licet ex eo antecedenti non fluoret, concedere potuit. Tandem rem totam parvi facit, & parum dicit referre, utrum Deo tribuat indifferentiam nec ne. *Neque tamen (ait) novi esse de fide, quod Deus sit in-*

*indifferens.* Itane, novitne statuere Theologos, omnes actiones Dei transeuntes esse indifferenter liberas, non solum libertate contrarietatis, sed & contradictionis? Quin ipse Dei decernendi aëtus liber est libertate contrarietatis. Novitne igitur, esse de fide, quod Deus sit indifferens? Sed hic ad fidem non est recurrentum: ipsa ratio dictat, essentiam summe perfectam necessario esse suarum actionum dominam; quæ, cum a nullo pendeat, & nihil praeter se respicere debeat, absolute independenter & indifferenter operetur. Et nostra dependentia in causa est, quod sæpe, ut quidem absolute vellemus, ac proin indifferenter, agere nequeamus. Quare, quo dependentia minor, eo indifferentia major, & ubi omnimoda independentia, ibi perfectissima erit indifference. Acute & Orthodoxe *Cl. de Vries,* olim præceptor meus honoratissimus, *Exercit. Ration. 19.* Quid? quod sit perfectio inter alias quasvis facile prima, dominum esse suarum actionum per supremam quandam avtoregolav, quam qui in Deo non concipit, non jam is Numen concipit, sed brutum prorsus idolum.

Ut clarius mentem Cartesii detegarem, quædam ex ejus *Dissertatione de Me-*

III.  
Clarissimo  
K 3

ad huc e thodo allegaveram, in qua pag. 27. hæc quibusdam ejus habet verba: *Præterea quænam essent naturæ leges ostendi; nulloque alio assumpto certissimum principio quo rationes meas stabilirem, præma consequenter infinitam Dei perfectionem, illas omnes demonstrare studui;* de quibus dubitatio aliqua id est oboriri posset; probareque eas tales esse, ut etiam si Deus plures mundos creasset, nullus tamen esse posset in quo non accurate observarentur. Et iterum pag. 39. *Primum conatus sum generatim invenire principia, seu primas causas omnium quæ sunt aut possunt esse in mundo; ad Deum solum qui ipsum creavit attendendo, easque aliunde non educendo quam ex quibusdam veritatis seminibus, animis nostris a natura inditis.* His adjiciam ea, quæ habet Part. 3. Princ. Art. 47. postquam dixerat, eandem mundi constitutionem etiam ex Chao potuisse provenire, hæc verba subjungit: *Atque omnino parum refert, quid hoc patto supponatur, quia postea juxta leges naturæ est mutandum.* Et vix aliquid supponi potest, ex quo non idem effectus (quamquam fortasse operofus,) per easdem naturæ leges deduci possit: *Cum enim illarum ope materia formas omnes quarum est capax, successive assumat, si formas istas ordine consideremus, tandem ad illam quæ est hujus mundi poterimus perveni.*

*venire: adeo ut hic nihil erroris ex falsa suppositione sit metuendum.* His iterum subjungam quæ extant Part. 2. Princip. Art. 36. 37. *Intelligimas enim perfectionem esse in Deo, non solum quod in se ipso sit immutabilis, sed etiam quod modo quam maxime constanti & immutabili operetur:* Adeo ut . . . . nullas alias in ejus operibus supponere debeamus, ne qua inde inconstancia in ipso arguantur. . . . Atque ex hac eadem immutabilitate Dei, regulæ quedam sive leges naturæ cognosci possunt, quæ sunt causæ secundariæ ac particulares diverorum motuum &c.

Cuncta hæc, quæ e scriptis Cartesii

iv.

extraxi, ad capita quædam reducam. *Hunc*

*in finem*

1. Deus est causa mundi. 2. Mundus

*ea ad*

est productus secundum leges quasdam &

*summa*

regulas necessarias. 3. Illæ leges necesse

*quadam*

fariæ arcessuntur. e perfectionibus Dei,

*capita*

tanquam e fundamento & origine earum.

*re du-*

4. Illæ leges Deo sunt naturales, quia

*cuntur.*

necessario ex ejus perfectionibus fluunt.

5. Deus itaque quando agit, necessario

secundum istas leges agere debet, quia

non potest non agere suæ naturæ & per-

fectionibus convenienter. Singula hæc

latius jam examinabo. Deum esse mundi

causam ultro conceditur, sed qualem e-

um habuerit, an veram efficientem, an

emanativam, aut immanentem, disquisitione dignum est.

*v.  
An Deus  
juxta  
Carte-  
fium,  
vera hu-  
bus mun-  
di causa  
efficiens  
dici que  
at? in-  
quiritur.*

Scio equidem, Cartesianos in me debacchatus, & impudentis calumniae accusatus, quod in illud inquirere ausim; sed pauli per expectent, id de Cartesio suspicandi mihi esse gravissimas rationes, mox ostendam. Si unica duntaxat sit substantia, ut clare & apodictice evici eam esse mentem Cartesii, Deum pro vera causa efficiente aliarum rerum habere non potest, sed dicens tenetur, uti quoque dixit, eas non nisi ope concursum Dei existere. Præterea tam lata, & laxa est hodie apud multos, etiam Cartesii fautores, causæ efficientis significatio, ut nihil minus quam veram causam efficientem denotet: v. c. mentem causam efficientem motuum corporeorum appellant, cum tamen nihil minus juxta eorum sententiam verum sit. Sic ipse Cartesius *Resp. 2.*

*Axiom. 1. Nulla res existit de qua non possit queri quenam sit causa cur existat. Hoc enim de ipso Deo queri potest, non quod indigat ulla causa ut existat, sed quia ipsa ejus naturæ immensitas est causa sive ratio proper quam nulla causa indiget ad existendum.* Ecce rationem cum notione causæ efficientis confusam. Et quando alibi dicit,

Deum

Deum quodammodo idem præstare respectu sui ipsius, quod causa efficiens respectu sui effectus, & non videre cur nomen causa tantopere sit fugiendum &c. facile, quænam ipsis causæ efficientis fuerit idea, colligere poterimus. Iterum; dicit Deum esse causam motus; quid vero per illam causam intelligat, nempe vim aliquam in materia semper manentem, ut patet ex *Epist. 72. Part. 1.* Cum autem dixi tantundem motus in materia semper manere, hoc intellexi de vi ejus partes impellente, quævis nunc ad unas partes materiæ, nunc ad alias se applicat. Hæc non exiguum dubitandi præbent rationem, quid per causam efficientem intellexerit. Vocaverit Deum mundi causam efficientem: vocaverit creatorem; etiam eum ita nuncupat Spinoza *Prop. 25. Part. 1.* Deus non tantum est causa efficiens rerum existentiarum, sed etiam essentiarum. Sic idem saepe loquitur de rebus productis, creatis, quin creatis substantiis. Non sufficit ut aliquid dicatur; sed quo sensu, & an mentis suæ sensa rotunde eloqui audeat, & an convenienter suis principiis loquatur, disquirendum; quod Cartesium non posse, in præcedentibus satis demonstratum est.

Secundum, quod jam considerandum erit,

*naturæ, quas statuit Cartesius, quoque Dei actionem necessariam reddunt.* erit, est, quod mundus sit productus secundum leges & regulas quasdam necessarias: ex quo sequitur, formam & constructionem hujus mundi necessario tamē esse, qualis nunc existit, nec aliam esse posse: per has enim leges necessarias mundus suam accepit formam. Sic diferte Cartesius Art. 47. Part. 3. *Cum enim illarum ope materia formas omnes, quarum capax est, successivæ assumat, si formas istas ordine consideremus, tandem ad illam, quæ est hujus mundi poterimus devenire.* Fuerit igitur materia quovis modo disposita, dummodo accedat motus, propter has leges necessario talis orietur mundus, qualis hic est. Neque solum ex hypothesi mundus talis esse debet qualis est, si juxta has leges crearetur; sed haec quoque a mundi alicujus productione abesse nequeunt, & observatu necessariæ sunt: quapropter ipse Deus nullum mundum nisi juxta has leges creare potest. Quod clare innuit Method. 27. *Eas tales esse (dicit) ut, etiamsi Deus plures mundos creasset, nullus tamen esse posset, in quo non accurate observarentur.* Conferantur cum hisce quæ habet Spinoza Ethic. Part. 1. Propos. 33. *Res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam productæ sunt.*

Mun-

Mundus igitur est opus, quoad formam, absolutæ necessitatis, qui talis esse debeat, nec aliis esse possit. En igitur operis certo modo determinati absolutam necessitatem! Sed quis ferat hunc hominem mendacissimum, qui id, quod in Part. 3. Art. 44. meram hypothesin, & quidem falsam, vocavit, deinceps in certas & immutabiles, a quibus ipsi Deo recedere non liceat, leges commutavit. Tune adstringes Deum legibus a te fictis? Illis astringe Deum tuum idealem, naturam (ut confiteris) amplæ & diffusæ potentiae, Deum Spinozisticum, non nostrum, qui in cœlis est, & omnia pro liberrimo suo placito operatur.

Tertium est, quod illæ leges necessariæ deriventur e perfectionibus Dei, tanquam ex earum fundamento & origine. Sic aperte Cartesius Method. pag. 27. *Præterea quænam essent naturæ leges ostendi; nullo modo, solum attendendo ad Deum, qui ipsum creavit &c.* Et Art. 36. 37. Part. 2. prescius declarat, quænam sit illa perfectio Dei,

vix.  
Imprimitur, quia  
eæ e Dei  
perfe-  
ctionibus  
que alio assumpto principio, quorationes meas derivan-  
stabilirem, præter infinitam Dei perfectio-  
nem, illas omnes demonstrare studui &c. Et  
rurus pag. 39. dicit se invenisse principia,  
scu primas causas omnium, quæ sunt in mun-  
do, solum attendendo ad Deum, qui ipsum  
creavit &c. Et Art. 36. 37. Part. 2. pres-  
cius declarat, quænam sit illa perfectio  
Dei,

Dei, ad quam ita attendit, nempe ejus *immutabilitas*, quam honesto insignit nomine, cum reapse ferream & fatalem intelligat necessitatem. Nescio sane quid Divinæ essentiae contemplatio istis cogitationibus aditum parare potuerit. Utique Deum contemplantibus occurrit illico independentia, intellectus, voluntas, summa & indifferens libertas, potentia, similesque perfectiones. Sed etiam (dicet) immutabilitas. Verum id est, sed an Dei immutabilitas est aliud quid, quam ea essentiae perfectio, qua semper maneat eadem, non mutet consilium, non transfeat a potentia ad actum? Quam relationem habet illa ad opera externa? An nexus est aliquis inter illam & ea opera? Ut illa sarta testa maneat, an ut ipsa opera non mutantur, Deum oportebit? Quænam haec sunt nugæ! Deus non operatur, neque operari potest secundum unam perfectionem, nempe immutabilitatem, ut alteram, videlicet libertatem abneget: agit omnibus suis perfectionibus simul convenienter. Quando Deus ita agit, ut suum decretum non mutet, ut non transfeat a potentia ad actum, quicquid etiam in ipso opere mutationis contingat, salva est ejus immutabilitas:

nam

nam una eademque immutabili actione innumeræ producit in rebus creatis mutationes. Quid, si Deo placuisset mundum successive condere; in principio v. c. cœlum, post annum unum vel alterum solem, dein stellas, tandem terram, & sic porro; quin subinde partem aliquam in nihilum redigere, denuo novam creare, an vel ulla specie inconstantiæ aut mutationis argui posset? mutaretur opus, non ipsa Dei operatio, quia Deus ab æterno immutabiliter voluisset, decrevisset, operatus ita fuisse, ut haec mutationes in rebus creatis contigissent. Inferat igitur eadem consequentia, Deum fuisse mutatum, quando ubi nihil erat aiquid esse coepit. Nihil igitur ipsi has leges indicare potuit, quam contemplatio agentis alicujus necessarii, quod natura tenebatur eodem semper tenore materiam ciere: tunc e natura ejusmodi agentis tales leges elicere posset, quod demonstratu oppido facile est. Pone agens necessarium, se æquabiliter in materia infinita exerens; partes motæ ad linéam rectam progredi nequeunt, omnes tamen æquali motu impelluntur; ergo in orbem agi debent &c. Hoc modo, partim e natura moventis, partim e natura

tura rei motæ istæ leges nobis innotescunt; minime vero e cognitione entis liberrime agentis, cui cum re extensa nullum est naturale commercium, e qua prorsus contrarium elicetur.

VIII.  
Ac proin  
ei sunt  
natura-  
les.

Quartum erat, illas leges Deo esse naturales, i. e. eam esse certo determinatam Divinæ essentiæ conditionem, secundum quam Deus circa extensionem agere & operari teneatur & ex qua necessario fluat ille corporum status, quo unum ab altero afficitur hoc, & non alio modo. Probe enim notandum, quod futuras naturæ leges in sola Dei perfectione præviderit: nam non dicit simpliciter istas in natura esse, sed ut ibi sint, id flagitare Dei perfectionem; ea igitur fuit tanquam necessarium aliquod exemplar ad cuius similitudinem illæ leges in natura expressæ sunt; & quandoquidem illæ leges sunt certæ, necessariæ, & immutabiles, sic quoque ejus exemplar in Deo se habere debet. Quare in *Dissert. de Method.* pag. 26. ita scribit: *sed etiam quadam leges observasse, ita a Deo in natura constitutas, & quarum ejusmodi in animis nostris notiones impressæ, ut postquam ad eas satis attendimus, dubitare nequeamus, quin in omnibus quæ sunt aut sunt in mundo ac-*

curas

*curate obseruentur.* Quando ad istas notiones attendimus, quorū nos prius ducent, ad leges istas contemplandas, an ad Deum, an vero res creatas? Non ad res creatas; quippe adhuc secundum istas faciendas & producendas: ergo ad Deum, ceu necessariam earum originem. Sic antehac ex *Epiſt. 72. Part. 1.* intelleximus, vim aliquam Dei semper corpora æqualiter moventem esse ejusdem in mundo motus quantitatis causam. Ita quoque dicit *Princ. Part. 2. Art. 39.* immutabilitatem & simplicitatem Divinæ operationis causam esse, quod omnis motus per se tendat ad lineam rectam. Est igitur in Deo aliquod fixum, certum, immutabile & necessarium, propter quod ejusmodi leges naturæ existere debeant.

Et sane fatus apparet, quid per leges naturæ ille impostor intellexerit: non relationem aliquam corporum, ita per liberrimam Dei voluntatem creatorum, ad se invicem, qua de re nulla lis est, & quod omnes Philosophi Orthodoxi concedunt; sed aliquam in ipso Deo necessitatem, ob quam illa relatio corporum ad se invicem aliter esse non potuit: quod satis claret ex eo, quod nolit, omnem motum tendere ad lineam rectam ob principiis

IX.  
Quod  
Carte-  
fium  
velle,  
demon-  
stratur.

cipi corpori moventis conditionem; sed ob ipsius Dei immutabilitatem, & quod ipse Deus alium mundum creare nequivet, in quo illæ leges, quæ in hoc mundo existunt, non accurate fuissent observatae. Et profecto, quamvis Deus plerunque secundum istas leges, liberissimo ejus arbitrio in natura constitutas, in hoc mundo operetur, tamen pro plenitudine potestatis ab iis recedere potest, & saepius recessit; quod qui negat, is necessario Divinam providentiam realem negat, & ipso facto negant, qui dicunt, Deum ab iis non reapse recedere, sed ita nobis videri, quia nos istarum legum naturalium cohærentiam nostro intellectu non satis assequimur. Sed ad rem! dicat mihi Cartesius, an illæ leges, in cuiusvis mundi creatione ob Divinam perfectionem accurate observandæ, aliud quid quam necessitatem immutabilem in Deo statuant? Illa enim necessitas si in ipso non esset creatore, cur ipsa creatura non posset esse alterius conditionis? Utique totam suam a creatore habet essentiam; ea ante creationem nihil erat; per creationem talis facta fuit, qualis est; res igitur creanda creatori nullas leges præscribere potest, quia nihili nullæ sunt affectiones:

Itē

stetit itaque per essentiam ipsius creatoris, quod alias res producere non potuerit, quam quæ jam productæ sunt, i. e. essentiæ tuæ necessitate determinatus fuit ad ita agendum & non aliter, quæ ipsissima est Spinozistica libertas.

Quintum & ultimum, quod mihi, ex ista Cartesii sententia necessario sequi, Deum secundum istas naturæ leges necessario operari, probandum restat, quam luculentissime demonstrabo. Utique illæ leges Dei perfectionibus insunt, & ipsa Dei perfectio est tanquam radix & origo istarum legum; ergo continentur in ipsa Dei essentia; quapropter necesse est ut Deus eas in natura ponat, quia non potest non agere suis perfectionibus convenienter. Et revera quid aliud de Deo sentire potuit Cartesius, qui ex Deo, cœi ex causa, rerum creatarum totam indolem, totumque statum deducere conatus fuit. Sic gloriatur, & tanquam optimam Philosophandi methodum, hoc suum molimen commendat *Princ. Part. I. Art. 24.* *Jam vero, quia Deus solus omnium, quæ sunt aut esse possunt, vera est causa; perspicuum est optimam Philosophandi viam nos sequuturos, si ex ipsius Dei cognitione rerum ab eo creatarum ex-*

L

*x.*  
*Quan-*  
*obrem*  
*etiam*  
*vult,*  
*Deum*  
*in oper-*  
*rando ab*  
*iis rece-*  
*dere non*  
*posse.*

pli-

plicationem deducere conemur, ut ita scientiam perfectissimam, que est effectuum per causas, acquiramus. Efectne quid omni vesania majus ex natura causæ efficientis, liberrime agentis, inter quam & ejus effectum nullus prorsus est naturalis nexus, indolem, statum, ordinem, conditionem effectuum certo deducere velle; cum ea omnia non a natura, sed a solo arbitrio istius causæ dependeant? Quis ita stolidus, ut e cognita artificis peritia certum & determinatum machinæ alicujus ab ipso conficiendæ statum concludat? Imo, quo fuerit artifex peritior, eo minus aliquid certi de futuro opere statuere poterit; cum talis ejusmodi rationes agendi sibi proponere valeat, quas nemo intellectu suo facile assequatur. Quanto minus igitur qui potentiam & sapientiam Numinis multiformem, quin infinitam, quam intellectu suo vix attingere, multo minus comprehendere valeat, confiteretur, aliquid certi de opere ejus per rationes, ab ejus natura petitas, determinare sustinebit. Certissimum autem est, & ab omnibus concessum, nullam causam posse esse certæ alicujus demonstrationis principium, nisi necessariam: quapropter qui a natura Dei ad natu-

turam ejus operum argumentatur, ut Deum pro causa necessaria habeat, necesse erit; cum itaque tali methodo Cartesius fuerit progressus, vel co ipso, quicquid etiam alibi contradicat, Deum agnovit causam necessariam, vel fuit furioso insanior. Quod ut clare pateat, addam, quæ Cl. Wittichius, Cartesianorum Coryphaeus, hisce Cartesianis principiis congruenter, de Deo fuit Philosophatus *Comment. de Deo §. 3.* ubi sic: *Constat ex diétis, Deum isto actu æterni voluntatis & intellectus, quem alium esse non potuisse variis confecimus hucusque argumentis, constituisse & ordinem Universi, & quemvis ordinem particularem, qui has vel illas particulares spectat creaturas peculiares. Quod si vero Deus alias potuisset suo intellectu constituere rerum essentias & alias res existentes decernere sua voluntate, quam re vera constituit & decrevit, potuisset aliis ordo universi, aliis ordo particularis rerum quarumvis particularium constitui & ordinari. Sic ergo Deus constituens hunc ordinem sive universalem, sive particularem, qui nunc est, non cum optimum omnium constituisse, cum juxta istam hypothesisin aliis æque bonus esse posset atque ita Deus non semper faceret id, quod est optimum, nec esset perfectissi-*

*mus Artifex, quo non melior & perfectior concipi posset. Et iterum paulo post, Non ergo Deus ab æterno indifferens fuit ad hoc potius judicandum & volendum, quam aliud, sed sapientissime id judicavit & voluit, nec propterea potuit aliud velle. Vedit nempe Deus infinito suo intellectu omnia possibilia, vedit necessario, non potuit non videre, quin imo hoc ipso suo intellectu ea omnia constituit, vedit necessario omnia quæ sunt optima, quæ eo ipso non potuit non decernere, præsertim cum inter ipsius intellectum & voluntatem summa sit identitas. Arrigate aures Theologi ad hæc verba Theologi Reformati e Principiis Cartesii ita ratiocinantibus!*

XI.  
Secundum  
hanc hy-  
potheſin  
Deo eri-  
pitur ip-  
ſa con-  
tra-  
di-  
ctionis  
libertas.

Rogabit forsitan aliquis, quid hisce evicerim? cum duntaxat hac sententia Deo adimatur libertas contrarietatis, non vero contradictionis. Facile autem me extricabo, videlicet ostendendo eadem ratione, qua infertur Dei in agendo necessitas respectu contrarietatis, eam quoque inferri respectu contradictionis. Concluditur, Deum teneri hunc mundum ita creare, qualis est; quia talis ab ipso intellectu cognitus; quid si Dei intellectui obversatum fuerit, magis conducere gloriæ suæ illustrandæ hunc mundum creare, quam non creare, an non tenetur sequi illud,

illud quod optimum videtur, & an poterit omittere mundi hujus creationem? Quod vero tale quid intellectus Divinus perceperit, juxta hanc hypothesin ex eventu manifestum est; quia Deus, qui ideo aliquid facit, quia optimum percipit, cæteroquin mundum non creasset, nisi scivisset illud esse optimum. Eo quoque prorsus aurigantur, quæ scripsit Cartesius Epist. 115. Part. 1. *Miki enim videatur certum esse ex magna luce in intellectu, sequi magnam propensionem in voluntate. Ita ut quandiu clarissime videmus rem aliquam esse nobis convenientem, difficultum sit, imo ut & credo, impossibile quandiu in nobis manet ista cogitatio, ut desiderii nostri cursum teneamus.* Certum igitur est, quia Dei libertas & nostra, quoad rationem formalem, fatente Cartesio Med. 4., profus eadem est, juxta hanc hypothesin, Deum non fuisse liberum ad hunc mundum, qualis jam est, creandum vel non creandum, & ita omni libertate contradictionis caruisse; quia ab æterno idea hujus mundi, tanquam maxime conveniens illustrandæ ejus gloriæ, ei fuit obversata. En igitur hic agens ab omni parte quam maxime necessarium!

Excipiet autem aliquis, hinc nondum L 3 sequi

xii.  
*Ex ea*

*quoque sequitur, cuncta ad Deum pertinet.* sequi sententiam Spinozæ, utpote statutensis, cuncta esse Deum. Huic respondeo, Cartesium docuisse, unicam tantum esse substantiam, quod tam certo ame demonstratum est, ut ne quidem ipsa impudentia contra hanc demonstrationem hicere audeat; & cum nihil admiserit in rerum natura præter substantiam & modos, quorum, nisi ad ipsum Deum, cogitatio & extensio erunt referendæ? Præterea ea de extensione tradidit, ut certo concludendum sit, illam nunquam esse creatam, neque in nihilum unquam posse redigi: nam ideo ipsi vacuum impossibile est; quia, quamvis tollatur corpus aliquod singulare, i. e. certa quædam istius spatii modificatio, ipsum tamen spatiū semper remanere debet. Insuper negat *Resp.* 2. ullam substantiam, ab eo sic dictam, posse interire. Ex hisce judicet unusquisque, an ejus Philosophia multum distet a Spinozæ impietate, saltem an non ea jecerit fundamenta, quibus Spinoza suam Philosophiam commode extruere potuerit.

*xiii. Respon- Antago-* Videamus nunc, quid Vir Cl. ad defendendum, aut potius excusandum Cartesium, hisce reponat. §. 53. ita fatur. Cartesium pluribus diversis modis res fieri potuisse

tuisse statuere, supra ostendimus §. 33. ubi nista ad de causa ē prima rerum origine egimus. Nec hæc quisquam contrarium iis, quæ expressissimis verbis Philosophus scripsit, ē identidem clamat & protestatur, per consequentias necessarias evincet. Scil. ac si Cartesius teste Deo necessitatem sic operandi adscriberet, i.e. quia statuit leges naturæ, secundum quas corpora moveantur, & in initio mota necessario hunc mundum produxissent. 2. Quia illas leges naturæ deducit ex immutabilitate operationis Divinæ. 3. Quia necessariam facit eandem motus quantitatem. 4. Quia negat vacuum posse dari, aut ullum corpus posse annihilari. 5. Quia negat plures uno mundos posse dari. Quod vero attinet ad Cl. Wittichium a Cartesio heic maxime dissentientem, ille perperam citatur; contraria enim Wittichii opinio Cartesio non potest adscribi. Sed porro hæc omnia nequidem vel minimam isti calumniæ speciem conciliare possunt. Nam ad primum respondeo, Deum liberrime statuisse creare hunc mundum, & quidem talem, qualis jam est, sed sapientie & immutabilitati sue convenienter statuisse & decrevisse certas leges naturæ, secundum quas ab initio Deus voluit ut moverentur corpora, & etiamnum in motu perseverent, motusque suos communicent, ut loqui sole-

mus. Hinc suppositis plurimis, quæ a libero Dei beneplacito pendent, uti Philosophus scribit Art. 46. & 47. si ope concursum Dei corpora moveantur secundum leges naturæ a Deo statutas, ad eam, quæ est hujus mundi pervenire poterimus; licet Deus eo modo non processerit. &c. Et §. 54. Ad secundum dico, minime sequitur omnimoda in agendo necessitas in Deo, licet leges naturæ Philosophus deducat ex immutabilitate & constantia Dei in operando; imo non magis, quam quando statuimus justitiam vindicativam Deo esse naturalem; Deum non deceare creaturam sanctam & immerentem æternis penitentiis addicere: hominem primum non creare, nisi rectum. Non jam disputandum est, an Philosophus recte eas leges naturæ ex perfectionibus Dei deducat 'quod omnino putamus, atque hoc earum verum esse fundamentum, quod plurimi ignorant,) sed an inde sequatur illa, quæ objicitur, Dei omnimoda in agendo necessitas.

xiv.  
Quia Cartesius pluribus in locis contrarium docet, & fuit. Aliud quid sonant ejus verba Art. 43.  
Part. 3.

Part. 3. Et certe si nullis principiis utamur protestans nisi evidenter perspectis, si nihil nisi per ratio facta Mathematicas consequentias ex iis deducamus, & interim illa quæ sic ex illis deducuntur, ideo cum omnibus naturæ phænomenis accurate consentiant, injuriam Deo facere videantur, si causas rerum hoc pacto a nobis inventas falsas esse suspicaremur, tanquam si nos tam imperfectos genuisset, ut ratione nostra recte utendo fallamur. Et iterum Art. 206. Part. 4. Præterea quedam sunt, etiam in rebus naturalibus, quæ absolute ac plusquam moraliter certa existimamus, hoc scilicet innixi Metaphysico fundamento, quod Deus sit summe bonus & minime fallax, atque ideo facultas quam nobis dedit ad verum a falso dijudicandum, quoties ea recte utimur, & quid ejus ope distincte percipimus, errare non posset. Tales sunt Mathematicæ demonstrationes: talis est cognitio quod res materiales existant: & talia sunt evidenter omnia ratiocinia, quæ de ipsis fiunt. In quorum numerum (N.B.) fortassis etiam hæc nostra recipientur ab iis, qui considerabunt, quo pacto ex primis & maxime simplicibus cognitionis humanae principiis, continua serie deducta sint. An id alio modo fieri potuit, quod factum est per & juxta tantæ necessitatis leges, quæ etiam, si Deus plures

L 5  
crea-

creavisset mundos, in iis condendis accurate fuissent observatae? Utique quod fit per leges naturae easdem, id idem est, atque eodem fit modo; cum causa naturalis semper eodem modo operetur, ac eundem producat effectum; quod ipsum afferit & urget Cartesius *Art. 47. Part. 3.*  
*Atque omnino parum refert, quid hoc patto supponatur, quia postea juxta leges nature est mutandum. &c.* Vel millies igitur clamitanti contrarium nec non protestanti opponam illud Ciceronis, *mendaci homini ne verum quidem credere solemus;* atque istud JCtorum, *protestatio factio contraria nulla est.*

xv.  
*Leges naturae a Cartesio inventae omnino faciunt Deum agens necessarium.*  
 Quod ad leges naturae attinet dicit Vir Cl., Deum suae sapientiae & immutabilitati convenienter ab initio decrevisse certas naturae leges. Hic igitur hypothesis Cartesianam de mundi origine convertit Vir Cl. in thesin: ego Mosi credo, ex quo patet falso falsius esse ejusmodi leges a Deo esse in principio constitutas, ut juxta illas formam suam mundus nancisceretur. Sed & vellem ut Cl. Vir clarius mentem suam expressisset, declarassetque, quid per haec verba *sapientiae & immutabilitati convenienter* intelligat: nam videntur tacite supponere in Deo aliquam ne-

necessitatem, ob quam Deus, si vellet suam ostendere sapientiam & immutabilitatem, eas tales statuere debuerit & non alias. Præterea Vir Cl. (quod cum ejus pace dixerim) non recte percepit Cartesii mentem, vel eam volens detorquet aut dissimulat: non enim loquitur Cartesius de legibus arbitrariis, sed necessariis, non de latis per Dei liberrimam voluntatem, ast de derivatis ex ipsius essentiæ quadam perfectione; quia attendendo solum ad Dei perfectionem eas invenit. An adeo clara & adæquata ipsi fuit Dei idea, ut ipsum decretum indagare, vel quid Deum circa mundi productionem statuere deceret, cernere potuerit? Id in Spinozæ Deo cognitu perquam facile est, in vero autem, in quo perfectionis abyssus, abditum prorsus & impervium. Sed dicat mihi Vir Cl. bona fide, quid per leges naturae, tantopere a Cartesio celebratas, intelligat. Ego ingenue fateor, me per leges naturae nihil aliud intelligere quam aptum ordinem, concinnam dispositionem, certum corporum situm, determinatam eorum quantitatem, quæ cuncta a Deo in prima creatione, sex dierum spatio peracta, accepserunt, quorum vi, Deo omnia ita conser-

servante, ea eduntur in mundo phænomena, quæ quotidie tanquam divinæ potentiaæ, sapientiaæ, & bonitatis luculentissimos testes conspicimus; & vocantur hæc Metaphorice leges; quia uti lex creaturis rationalibus est agendorum norma, ita quoque hæc omnia effectuum in hoc universo conspicuorum norma simul & causa sunt: & debent vi istius ordinis omnia ita perpetuo naturaliter successive, prout quotidie fiunt, contingere; nisi Deo pro singulari sua providentia placuerit illum ordinem immutare, ut aliquid præter vel contra illum consuetum ordinem in natura fiat. Ex his igitur manifestum est nullas ante mundi creationem fuisse naturæ leges, per & juxta quas hoc universum suam formam fuit adeptum; sed e contra eas ex accepta forma demum esse ortas. Scio Cartesium comminisci vim aliquam Dei secundum cundem tenorem corpora moventem & se ab una extensionis parte ad aliam applicantem; quod mysterium, tandem penes se presum & occultatum, tandem in Epist. 72. Part. 1. patefecit: quantum vero hæc sententia a Spinozismo distet, judicent prudentiores. Certe hic habemus illas naturæ leges necessarias, ab immutabili &

ne-

necessario ita agente essentia prodeentes, per quas materia ita moveatur, ut tandem necessario certas formas acquirat, & si plures possent esse mundi per eandem illam immutabilem istius vis actionem eodem modo se haberent, & sic illæ leges etiam istic accurate observarentur.

Licet hæc leges, inquit Vir Cl., ex immutabilitate Dei deducantur, inde non sequitur omnimoda Dei in agendo non eludatur discessitas, quam quod justitia vindicativa Deo statuatur naturalis, & quod doceatur, Deum non decere creaturam plis, a Cl. sanctam & immerentem æternis poenis Antago- addicere. Sed quis non videt Virum Cl. nista al- hic toto cœlo aberrare, & adducere si- contraria prorsus dissimile, & a statu quæstio- rium ve- nis prorsus alienum. Breviter responde- ro de- bo. 1. Hic tanquam certum aliquod monstra- statuitur, quod apud omnes non est tur. extra controversiam 2. Confunditur re- gimen Dei morale cum naturali, quæ duo immensum distant. In priori consi- derantur solæ creaturæ rationales, promissis & minis regendæ; in posteriori omnes etiam brutæ, quatenus sola vi ad certos fines disponuntur 3. Quod ad ex- empla proposita attinet; justitia vindicativa dicitur Deo naturalis, non, quia natu-

natura Dei immutabili quadam necessitate per se fertur ad ipsum peccatorem puniendum; sed posito peccato, positaque divina comminatione, divinæ majeitatis atque veracitatis interesse videtur, ut peccatum puniatur, & poena inficta patet, Deum esse supremum legislatorem & veracem. Quid vero hoc communie habet cum legibus naturæ, & divina perfectione derivatis? Hic est aliquod hypotheticum & relativum, ibi est aliquod absolutum, absolutam in Deo statuens necessitatem, qua mundum hoc modo, & non alio, producere debuit: nam in allegato exemplo Deus consideratur posito peccato; hic vero Deus consideratur ante mundum conditum, & asseritur, si ille plures crearet mundos, easdem debebat observare leges; quod in supremam ac liberrimam Dei potestatem confidenter summe injurium pronuncio. Quod ad alterum exemplum attinet; dico, Deum nunquam afflictum aeternis cruciatibus creaturam insontem, quia contrarium promisit, & id nobis sufficiat; quid profummae potestatis plenitudine quiret, existimo temerarium esse in hoc inquirere: ego in revelatione acquiesco, ne, si quid extra eam de Deo determinem, me forte

te corripiat, & deprehendar mendax. Concludo itaque, e statutis legibus naturæ in Deo necessariis, quam clarissime sequi, Deum esse agens aliquod necessarium, quod sic demonstro. Quocunque agit e natura ad certum aliquod agendum determinata, agit ex necessitate naturæ, & non actione arbitraria. Quod agit, ut, salva perfectione naturali, aliter agere nequeat, agit e natura ad certum aliquod agendum determinata. Ergo quod agit, ut, salva perfectione naturali, aliter agere nequeat, agit e necessitate naturæ, non actione arbitraria. Q. E. D.

Cl. Wittichii sententiam, tanquam non Cartesianam, rejicit Vir Cl. Sed immerito; quia ipse Cl. Wittichius factetur, se sua ratiocinia Cartesii principiis superstruxisse. Sic diserte in initio *Commentarii de Deo: Resumamus ergo ea, que Cartesia feliciter jacta sunt a Cartesio in Meditatione, a bus humanæ cognitionis fundamenta, hisque seritar. superstruentes videamus, quoisque possumus mentem nostram clara & distincta Dei cognitione implere.* Insuper hæc sententia principiis Cartesii maxime consentanea est: nam, si voluntas tantum in eo consistat, ut verum & bonum ab intellectu propositum sequatur, necesse quoque erit ut opti-

xvii.  
Sententia Cl. Wittichii, cen  
vera

optimum eligat, & ad id statuendum tenetur; sed hæc est ipsissima Cartesii de voluntate, etiam Dei, sententia, ut ex *Med. 4.* luculenter appetet. Ubi igitur hic Cl. Wittichius a Cartesii principiis in partem contrariam abit? Piget autem Virum Cl. alicubi reperiri Cartesianos, qui verum Cartesii sensum eruant, & publice proponunt, quo non parum ejus Orthodoxiæ, quam Vir Cl. omni conamine stabilire nititur, detrahitur.

**xviii.** Plus speciei habent ad Cartesium excusandum, quæ allegavit Vir Cl. §. 58. ex *Resp. ad Object. Sextas*, ubi videtur Cartesius omnem veritatem & bonitatem a sola Dei voluntate derivare. Objecerat ei Objectionum Sextarum author, per negationem libertatis indifferentis destrui ipsius Dei libertatem. Respondet Cartesius, Dei libertatem ab æterno fuisse indifferentem, quia nullius rei idea fuit in intellectu divino ante determinationem voluntatis. Ad hæc noto I. Si hic Cartesius sincere loquatur, & verba ejus ex usu recepto intelligentur, tum id, quod hic affirmat cum ejus principiis non potest conciliari. Sed id nihil contra me: genuina Cartesii sententia non quærenda adeo est in ejus disputationibus, in quibus

bus non semper idem est, sed in ejus rerum definitionibus, axiomatibus, postulatis, hypothefibus, quæ suæ doctrinæ, ceu principia, & fundamentum, substernit. 2. Id, quo res cogitans ad certum cogitandi modum determinatur, Cartesio etiam voluntatis nomine venit, & ante determinationem, natura istius essentiæ ortam, ad quodvis fuit ista essentia indifferentis, & ex determinatione istius essentiæ prodiit omnis veritatis & bonitatis ratio. Et revera intellectus ipsi nihil aliud est, quam essentia, quatenus diversorum modorum cum conscientia capax est; quod patet ex ideis innatis, quæ a sola cogitandi facultate procedunt: voluntas igitur erit virtus quedam essentiæ, qua ad hunc vel illum cogitandi modum determinetur; & sic quidem ante istam determinationem essentia plane erit indifferentis ad quamvis determinationem recipiendam; sed, facta determinatione, id necessario sequi debet, quod in illa idea continetur: & facile fuit Cartesio istam essentiam ad quodvis habere indifferentem, quia nescimus ad quod ista essentia sua natura determinari queat. Hinc quoque ipsi facile fuit statuere contradictoria Deo esse possibilia; quia nescivit ad quod ista

M. essentia

essentia sua natura determinari quiverit. Mirum autem non est, ipsum maximam hac in parte constituisse inter nostram & Dei libertatem differentiam; quandoquidem nos debemus sequi ideas jam factas, Deus vero adhuc faciendas. Et ideo magis ad istam sententiam amplectendam inducor, quia scribit, *neque loquor de prioritate temporis, sed ne quidem fuit prius ordine, vel natura, vel ratione ratiocinata, ut vocant, ita scilicet ut ista boni idea impulerit Deum ad unum potius quam aliud eligendum.* Certum tamen est, intellectum voluntate natura esse priorem, nisi quis plane intellectum cum voluntate confundat, quod revera fecit Cartesius, uti patet ex iis, quæ scripsit *Pass. Part. I. Art. 19.* *Hæc perceptio & hæc voluntas revera idem sunt;* diversus tantum est considerandi modus: laudet itaque Vir Cl. Cartesium §. 31. quod dixerit, Dei intellectum, voluntatem, operationemque esse unum & idem, eaque verba aurea (falsum deaurata sunt, ne sint sensu Cartesiano venenata) pronunciet.

**XIX.** Mirari autem subit, Virum Cl. tanto amore Cartesium prosequi, ut gravissimum errorem, in quo ei præavit Fanaticus Weigelius, in probandam ejus ortho-

thodoxiam convertat: nam, licet hic in *orthodoxiam.* aliud prorsus extremum ruere videatur Cartesius, reapse tamen plane idem statuere potest, & ipse Spinoza id docere non renueret. Ponamus enim essentiam divinam ad quosvis modos recipiendos indifferentem, eo ipso statuimus, omnem rationem veri & boni ab ejus voluntate pendere; quia voluntas cum intellectu & operatione prorsus idem est. Eiusmodi igitur subterfugiendi artes nihil ad rem faciunt, ubi ex ipsis principiis & fundamentis penitus aliud quid necessario sequitur. Demonstravi itaque, & alteram columnam, qua nituntur Spinozæ errores, a Cartesio esse fundatam, meamque, ni fallor, demonstrationem satis ab exceptionibus Viri Cl. vindicavi: concludo, ex dictis satis superque patere, Cartesium Deum agens aliquod necessarium habuisse. Q. E. D.

### Caput VIII.

### S U M M A R I U M.

*Consensus inter Cartesium & Spinozam etiam probatur e quibusdam dog-*

dogmatibus, omnem vim demonstrativam a Spinozæ principiis mutuantibus. I. Quorum primum est eadem motus quantitas ab immutabilitate Dei derivata. II. Hac autem ratio est ipsis Spinozismi fundatum. III. Exceptioni Cl. Antagonistæ respondetur, eamque vim argumenti, ex eadem motus quantitate Deum agens necessarium inferentis, minime infringere probatur. IV. Vacui impossibilitas e solo Spinozismo recte probari potest. V. Frustra id Cl. Antagonista a contradictione dedit. VI. Cujus contrarium variis rationibus & instantiis demonstratur. VII. Etiam plurium mundorum impossibilitas facit Deum agens necessarium. VIII. Cl. Antagonistæ responsio. IX. Quæ variis rationibus diluitur. X. De ideis innatis sententia Spinozismum infert. XI. Ut & Cartesiana mentis cum corpore unio. XII.

I.  
Consen-  
sus inter

**U**T probarem Cartesii, quod principia, cum Spinoza concordiam, often,

ostenderam, multa esse in Cartesii scriptis, quæ, suppositis orthodoxis principiis, omni carent sequelæ necessitate; sed admissa Spinozæ sententia, firma sunt & certa. Expectaveram ut Vir Cl. probatur harum difficultatum dedisset claram atque solidam solutionem; quia vero in eo defecit, denuo ea proponam, urgebo, &c, nisi supponantur Spinozæ principia, ab omni vi demonstrativa esse aliena, quam clarissime & solidissime demonstrabo.

Primum argumentum desumpseram ab eadem quantitate motus, a Cartesio ab immutabilitate Dei deducta: inter quam, suppositis principiis orthodoxis, & eandem motus in hoc mundo permanentem semper quantitatem idem nexus est, qui intercedit inter has duas propositiones, Quoniam prius stat in angulo, ergo cras pluet. Deus a parte sui operatur immutabiliter, ergo res creatæ nullis mutationibus sunt obnoxiae; quid, cum res creatæ in perpetua vicissitudine versentur, excogitari potest falsius? Cur ob eandem rationem non semper est eadem venti quantitas? Cur modo humida, modo arida est tempestas? Cur modo tonat, fulminat, flat, coelum serenum & sudum est? Si ex immutabilitate divinæ operationis necessaria-

rio sequeretur immutabilitas effectus, cuncta in natura opera forent immutabilia. Potuissetne Deus, si ita ei visum fuisset, successive creasse materiæ partes, & an inde alicujus inconstantia fuisse argutus? Possetne partem materiæ creatæ annihilare, aliam substituere, mundum ampliare &c. sine ulla operatio-  
nis suæ immutatione? Rogatos velim Cartesianos num Deus ab æterno immutabili voluntate constituere potuerit, ut innumeræ in natura essent mutationes, & nihilominus suam voluntatem servare immutatam & immutabilem? Si sic; cur inter solum motum & Dei immutabilitatem nexus adeo necessarius est, ut nihil motus deficere queat, quin illico Deus inconstantia & mutabilitatis arguatur? Dent vel probabilem rationem ullam, insto, urgeo, provoco; quod si præsta-  
re nequeant, mihi saltem concedant ut ex Spinoza solidam & invictam hujus ne-  
cessitatis ostendam rationem. Extensio  
est divinæ, juxta illum, essentiæ attri-  
butum; illa essentia naturæ necessitate  
æquabiliter, & secundum eundem teno-  
rem istam extensionem afficit, & movet;  
ergo motus, cum ejus principium sem-  
per eodem modo extensionem afficit &

mo-

movet, necessario eadem debet manere in rerum natura quantitas. Hæc ratio clara, aperta, solida est; imo tantæ ne-  
cessitatis & evidentiæ, ut tandem ipse Cartesius ad eandem aut similem, ad tuendam eandem in mundo motus quanti-  
tatem, refugere coactus fuerit, uti ex Epist. 72. Part. 1. clarum est, ubile legun-  
tur hæc verba: *Rette advertis motum, quatenus est modus corporis, non posse transi-  
re ex uno in aliud; sed neque etiam hoc scrip-  
si; quinimo puto motum, quatenus est talis  
modus, assidue mutari. Alius est enim mo-  
dus in primo puncto corporis A, quod a pri-  
mo puncto corporis B. separetur, & aliis  
quod separetur a secundo punto, & aliis  
quod a tertio, &c. Cum autem dixi tantumdem  
motus in materia semper manere, hoc intel-  
lexi de vi partes ejus impellente, quæ vis  
nunc ad unas partes materie, nunc ad alias  
se applicat, juxta leges in artic. 45. & se-  
quentibus partis secundæ (& illas leges ce-  
tiam ab immutabilitate Dei accresciverat  
Cartesius, ut constat ex Art. 37. Part. 2.)  
propositas: Non itaque opus est ut sis sollici-  
tus de migratione quietis ex uno subiecto in a-  
liud, cum ne quidem motus, quatenus est  
modus quieti oppositus, ita transmigret. In-  
terfuit Cartesii hanc de eadem motus*

M 4

quan-

quantitate sententiam, utpote maxime capitalem, bene statuminare; quandoquidem totius Physicæ erat fundamentum: si enim motus quantitas fuisset immutata, vis vortices expandens flaccuisset, collapsique fuissent vortices, mixtaque fuissent imasupremis; ideoque, cum videret illam rationem, qua tandem, quandiu potuit, impianam suam sententiam, ne pelluceret, texit, non satisfacere, clarius mentem aperuit, & maluit de impietate esse suspectus, quineam palam profiteri, quam hic vadimonium deferere.

III.  
Hæc autem ratio est ipsius Spinozismi fundamen-tum.

Hanc vero rationem, qua suam de eadem semper permanente in hoc universo motus quantitate fulcit sententiam Cartesius, ipsum esse Spinozismi fundamentum, nunc latius sum demonstratus. Attendamus igitur ad hæc sequentia. 1. Motum, quatenus est modus corporis, non manere cundem. 2. Cartesium, quando statuit, eandem manere motus quantitatatem, respicere vim moventem. 3. Illam vim esse in Deo. 4. Quin ipsum Deum. 5. Illam vim materiae esse unitam. 6. Istam vim se exerere semper æquabiliter ac proin necessario. Primum & secundum totidem verbis Ipse Cartesius

sius affirmat. Tertium, licet in hac epistola quodammodo dubie proponat, tamen ex sequentibus & aliis, quæ ubique de hac materia Philosophatur, id satis certo colligi potest: nam paulo post ita scribit: *Considero materiam sibi libere permissam, & nullum alhunde impulsu[m] suscipientem, ut plane quiescentem; illa autem impellitur a Deo, tantundem motus sive translationis in ea conservante, (scilicet per istum suum impulsu[m]) quantum ab initio posuit.* Passim quoque scribit, Deum per suum concursum eandem motus quantitatatem in materia conservare; quid vero per concursum intelligat, hic clare exponit, nempe istum *impulsum*. Quartum inde infero, quia scribit in hac eadem epistola: *Vis autem movens potest esse ipsius Dei conservantis tantundem translationis in materia, quantum a primo creationis momento in ea posuit .....* Et quidem illa vis in substantia creatâ est ejus modus, non autem in Deo. Hic dicit illam vim posse esse ipsius Dei, & tunc non esse modum, ergo ipsam Dei essentiam. Addit quidem illam vim posse esse substantiæ alicujus creatæ; sed quis non videt, hæc tantum dicens causa ad tegendum istud crudum dogma adjici; cum paulo post scribat,

M 5

Deum

Deum materiam impellere, Deum motum conservare, jam conservatio fit immediate a Deo, non ope alicujus creaturæ. Sic etiam diserte Art. 36. Part. 2. Unde sequitur *quam maxime rationi esse consenteum*, ut putemus ex hoc solo, quod Deus diversimode moverit partes materiæ, cum primum illas creavit, *jamque totam istam materiam conservet*, eodem plane modo, eademque ratione qua prius creavit, eum etiam tantundem motus in ipsa semper conservare. Ecquæ res creata istam corpora movendivim haberet? corporea, mere passiva? Spiritualis, cui per se nulla, juxta Cartesium, utpote meræ cogitationi, talisvis competere potest? Restat igitur illam vim esse solum Deum. Prolixior hic quodammodo esse debui ut occluderem omnes latebras, in quas cæteroqui Cartesiani, dum urgentur, se recipere solent. Quintum ex eo manifestum est, quia nulla vis, cum nihil in distans agat, corpus afficere valet, nisi ei unita sit. Quod ex eo necessario sequi, satis præsagivit ipse Cartesius, quando in eadem epistola hunc in modum scribit: *quod, quia non ita facile ab omnibus potest intelligi, nolui de ista re in scriptis meis agere ne viderer favere eorum sententiæ, qui Deum tanquam animam*

*mam mundi materiæ unitam, considerant.* Sextum per se claret: si enim illa vis ex quodam voluntatis imperio materiam impelleret, ita actionem suam moderari quiret, ut ea modo plus, modo minus motus in hoc universo existeret; sed quando ex necessitate naturæ agit, tum operatur æquabiliter, &c ut eadem in natura sit motus quantitas; eodem modo uti fluvius aut torrens, eodem semper tramite fluens, ita circumagit molam ut in ea semper eadem motus quantitas reperiatur. En jam argumentum, pro eadem motus in hoc universo quantitate ab immutabilitate Dei derivatum, quod nequaquam, nisi Spinozæ principia supponantur, certo concludat.

Videamus nunc quid Vir Cl. huic meo argumento reponat. Sic scribit §. 55. *Eadem responso satisfacit tertiae objectioni.* Deducatur enim ea motus quantitatas ex immutabilitate Dei, eadem semper vi utens ad omnem (ad eoque semper eandem) motus quantitatatem conservandam, nullis tamen fidiculis quis inde elicit necessitatem illam, quam fingit Spinoza, ita ut omnia ex necessitate Divinæ naturæ sequi debeant, negata etiam omni vera operatione. Sed insuper & hoc considerandum est, Phi-

IV.  
Excep-  
tioni Cl.  
Antago-  
nistæ  
respon-  
detur,  
eamque  
vim dr-  
gumen-  
ti, ex ea-  
dem mo-  
tus  
quantifi-  
loso.

tate Dei logosphum non absolute ex iis Perfectionibus  
um a- Dei inferre necessario eandem motus quan-  
gens ne- titatem; sed attendit ad experientiam, ad  
cessari- legem communicationis motuum corporum, ita  
um infe- renit, ut corpora tantum amittant de suo motu,  
minime quantum communicant cum aliis; atque ita  
infringe- obseruat eandem motus quantitatem ma-  
re, proba- nere; jam attendit ad immutabilitatem &  
tur. constantiam Dei, cui videtur maxime etiam  
esse conveniens, ut modo quam maxime con-  
stanti operetur. Nullis fane fidiculis mihi  
opus ad hinc eliciendam hanc consequen-  
tiam, quod ille, qui eandem motus quan-  
titatem ab immutabilitate Dei derivat,  
Deum statuat agens necessarium: nullo  
negotio inde elicui consequentiam fir-  
missimam; Viri Cl. erat ostendere istam  
consequentiam esse nullam; quod non  
præstítit, neque præstare potuit; nisi  
existimet, quia justitia vindicativa Deo  
naturalis est, Deo naturale esse eandem  
in natura motus conservare quantitatem;  
quæ duo ante ostendi adeo esse dissimilia,  
ut me Viri Cl. ergo allati exempli pu-  
deat. Loquitur hic quoque de Deo, ea-  
dem semper vi utente ad conservandam  
eandem motus quantitatem: scire autem  
aveo quam vim Vir Cl. peculiarem Deo  
tribueret queat, utpote qui statuat Deum  
sola

sola voluntate agere: & jam quæstio erit,  
utrum Deus ita velit necessario, an vero  
arbitrario? Dicit quoque necessè esse ut  
inde eliciam, omnia ex necessitate Di-  
vinæ naturæ sequi: quod tamen minime  
necessè est, modo probaverim, inde ean-  
dem motus quantitatem ex necessitate  
Divinæ naturæ sequi, ut ita ostendam,  
Cartesium ab impia ista cogitatione non  
fuisse alienum, quod aliquid in natura e  
necessitate Divinæ naturæ sequatur; &  
si probavero motum ita ex Deo sequi,  
simil probavero omnia ex necessitate Di-  
vinæ naturæ sequi; quia motus est pri-  
marium, si non unicum, omnis corpo-  
rum mundanorum formaturæ instrumen-  
tum. Non quoque incumbit mihi pro-  
bandum, motum prodire necessario e Di-  
vina essentia, negata etiam omni vera o-  
peratione; quoniam æque Spinoza ac  
Cartesius illum producendi modum actioni-  
nem vocat; quamvis neuter sano sensu.  
Quod autem Viri Cl. dicit, nimis. Car-  
tesium non absolute eandem motus quan-  
titatem ex Dei perfectionibus inferre,  
sed attendere ad experientiam & legem  
communicationis, plane a vero alienum  
est: nam Cartesius per experientiam &  
legem communicationis quidem conatur  
osten-

ostendere, quod, licet ad diversa corpora transeat, inde motus quantitas nullam patiatur diminutionem; quia, cum in uno corpore interire videtur, in altero tanto magis reviviscit: sed ipsam ejusdem quantitatis causam, & leges motus a sola Dei immutabilitate arcessit, atque dicit tam arcto cum ea cohærere nexus, ut, si illa quantitas quodammodo fieret minor, ipse Deus, vah blasphemiam! inconstantiae & mutationis esset arguendus. Et ipse legem communicationis in Epist. 72. prorsus rejicit, quando negat, motum ab uno corpore ad aliud, imo ne quidem ab una ejusdem corporis parte ad aliam transire, ast vim corpora impellentem se modo ad hanc, modo ad aliam partem applicare. Sustuli itaque omnia, quæ Vir Cl. ad defensionem Cartesii contra meum argumentum protulit, quod haec tenus stat inconcussum, & eadem virtute qua ante concludit, quod is, qui eandem motus quantitatem ab immutabilitate Dei derivat, Deum agnoscat a gens necessarium.

*v.* Indicaveram quoque sententiam de impossibilitate vacui, quam tuetur Cartesius, non, nisi ex Spinozæ principiis, solo Spinozæ defendi posse; cum rationes, quæ ad hanc

hanc opinionem stabiliendam in medium *nozismus* *recte probari potest.* proferuntur, adeo sint pueriles, frivola, & ineptæ, ut vel puerum earum pudeat. Quid? an is, cui vel mica rationis est, putare posset, Deum aliquod liberlime creasse, quod iterum nequiret in nihilum redigere? Deum creasse opus sua potentia majus, & cui per creationem ejusmodi deditset essentiam, in quam ei nihil remaneret potestatis? Statuatur itaque, Deum posse creare creaturam independentem. Sed hæc ex Spinozæ principiis demonstratu facillima sunt; quia aliquod a Deo non creatum, vel ad ejus essentiam pertinens, etiam ab eo annihiari nequit.

Hisce modo respondet Vir Cl. *VI.* *Frustra id Cl.* *Multo minus (quod quartum erat) sententia de impossibilitate vacui ullo modo probat necessitatem operationis Divinae; cum enim hoc sit contradictionem, & esse non possit, utique a Deo produci non potest. Deus non potest contradictionia; nec potest efficere ut idem simul sit & non sit. Deus faceret ut sit spatium, scilicet extensum in longum latum & profundum, (quæ est ipsa corporis essentia & substantia) & tamen ab omni corpore vacuum, id est enim extensione ponitur corporis natura, sive corpus aliquod.*

*Utrum-*

*Utrum hæc sententia sit vera, an falsa, jam proprie non queritur; sed ea admissa non magis in Divinam operationem necessitatem inducit, quamquod dicamus, Deum factum infectum facere non posse, nec efficere posse, ut nos qui jam vivimus, ut ego qui hæc scribo pro veritate, (utinam verum foret, & hæc non scriberet Vir Cl., licet inscius, pro falsitate & summa impietate!) nunquam in rerum natura existiterimus. Nec hoc inconveniens vel absurdum sequeretur, si quis putaret, (quod Cartesius nullibi scripsit) Deum non decere quicquam eorum, que semel creavit prorsus annihilare. Sic mentem annihilare Deum minime decere, adeoque non posse, (uti se abnegare non potest,) omnino statuimus. Atque ex spatio annihilare omne corpus, manente interim spatio, quia est contradictionum, etiam impossibile esse, manifestum est.*

VII.  
Cujus  
contra-  
rium  
variis  
rationi-  
bus &  
instantiis  
demon-  
stratur.  
Totum Viri Cl. huc reddit ratiocinium, Cartesium vacuum impossibile statuisse, quia involvit contradictionem. Nescio vero, cur hic tantopere horruerit Cartesius contradictionia, cum alibi ea tam facile admittat: is, qui concedit, Deum potuisse efficere ne duo & unum non fuissent tria, bis quatuor non octo, ut mons fuisset sine valle, radii a circuli cen-

centro ad peripheriam ducti fuissent non æquales, quomodo potuit adeo scrupulosus esse circa admittendum vacuum, quia ibi remanet quædam imaginaria extensionis species? Sed longe alia ibi, quam hic, fuit Cartesio ratio; cum illa adhuc penderent a futura divinæ essentiæ determinatione, quæ quorsum evaderet, prævideri non potuit; hoc vero ex essentia jam determinata innotuit; & quoniam stabile spatium est totius ipsius Physices columnen, maluit in illud Deo denegare potestatem, quam ut, eo quassato, tota ejus Physica minaretur ruinam. Sed ad rem! Non queritur jam hic, utrum natura corporis consistat in extensione, & spatium sit ipsum corpus; hæc se ita habent! Id tantum queritur, utrum Deus quiret partem ipsius spatii, reliquis remanentibus, in nihilum redigere? Fribola itaque & male ad rem præsentem est apposita hæc exceptio, dempto corpore, remanere spatium; cum quæstio non sit, an singulare aliquod corpus, sed corporis in genere, i.e. ipsius spatii pars a Deo deleri queat? Ad hanc quæstionem categorice respondeat Vir Cl. Si ajat; vacuum esse possibile concedet; si negat; ratio reddenda erit, cur pars spatii a Deo

a Deo annihilari nequeat. Sed involvit contradictionem. Eja! Potuitne igitur prævidere summa prudentia, se, creando extensionem, producturam rem suæ potestati & juri prorsus exemptam? Quænam hæc sunt absonta, quæ absurdæ, quæ impia? An eo stultitiae homo rationalis pervenire posset, ut existimet, Deum efficere posse creaturam, quam ob essentiæ conditionem, quam ipse ei largitus est, in æternum deberet conservare, & ea ratione prorsus a se facere independentem? Sed quænam hic contradictione, si dicamus, Deum abolere extensionem inter quædam corpora? Utique ex hypothesi abolita est extensio, igitur nihil est: an repugnat inter corpora esse nihil? Sed distant corpora, & certæ mensuræ distantia assignari potest. Rechte, distant corpora ob ablatum e medio corpus, unde factus est hiatus, qui nihil positivi, ast privativi infert, & quodistihiatus certa quantitas tribuatur, id fit propter conceptum quantitatis corporis ablati, vel corporis possibilis, quo ille hiatus fuit repletus, vel denuo repleri posset; ita ut extensio istius hiatus duntaxat sit imaginaria, non vera. Statuit Vir Cl. hunc mundum finitum; rogatum

tum velim Virum Cl., utrum Deus queat hunc mundum diminuere, & ultimas ejus oras annihilare? Si ita, remanebit ibi idem spatiū imaginariū, &, Deo sic volente, in pristinam magnitudinem restitui poterit mundus; quod igitur ipsa corporis patitur natura, an id corpora circumposita reddent impossibile? Si negget, in quam sententiam vereor ne inclinet Vir Cl., videat ne propter Cartesium in Deum fiat injurius. Sane dedecet nos homunciones vix cum ratione, multo minus temere, de ejus, coram cuius facie universa terra contremiscit, absoluta potestate quicquam determinare, quod ei limites ponat. Jobus, qui, teste ipso Deo, de viis Dei rectius loquutus erat, quam consanguinei ipsius, hanc tamen ob causam a Deo fuit increpatus, & postquam cominus indicia Divinæ Majestatis conspexerat, eum dictorum poenituit, facroque horrore correptus humillimo obsequio se coram Deo prostravit, seseque de iis fuisse locutum, quæ non satis intellexerat, candide confessus est. Utinam & nos istius essemus animi, tantaque erga Deum duceremur reverentia, quando de absoluta & tremenda ejus potestate, summoque in creaturas jure nobis sermo-

cinandum est. Concludo, Virum Cl. non potuisse demonstrare vacuum esse impossibile, quia involvit contradictionem, quam involvit nullam, nisi quis e Spinozæ principiis Philosophari voluerit.

viii. *Etiam plurimum mundorum impossibilitas, facit Deum agens necessarium.* Impossibilitatis plurium mundorum solidam rationem, nisi e Spinozæ principiis, reddi non posse, etiam demonstraveram. Etenim, quamvis Cartesius statuat infinitam extensionem, ideo ipsum mundum, i. e. materiam per motum ad certas corporum species determinatam infinitam statuere non debuit, si Deum liberum opificem agnovisset; quia Deus pro beneplacito parti ejus motum indere potuisset; quod vero ex materia supererat inconditum relinquere; sed si cum Spinoza Deum pro agente necessario habeat; tunc ubique, & quam late patet materia, in ea operari debuit; quare nunc nihil reliquum est, quod ullam mundi formam recipiat. His, cum clara sint, nihil addam.

ix. *Cl. Antagonista responsio.* Rationi huic ita insurgit Vir Cl. §. 57. *Eadem responsione quinta diluitur objectio, quæ Spinozismum (si diis placet) infert ex opinione de impossibili mundorum pluralitate. Cum enim vacuum spatium sit contradictorium, impossibile est, ut id sit inter plures,*

*res, qui fingerentur, mundos. Si vero supponantur contigui, sine interjecto vacuo, erit unus mundus, πᾶν, universum totale. Quod ipsa mundi notio Platonem docuit, & necessario infert. Sin spatium intermedium corporibus plenum supponatur, hoc iterum mundos plures, qui supponuntur, non minus uniet, quam aer intermedius unit cœlum & terram, ut constituantur unus mundus, sive unica omnium corporum universitas.*

x. Profecto hic apponitur crambe, non bis, sed plusquam millies recocta, ac quæ proin maximum fastidium, maximamque nauseam parit. Hoc tamen tedium, quia ita Viro Cl. placet, erit mihi devorandum. Vacuum spatium (inquit Vir Cl.) est contradictorium: Quid de hac re sit, modo ostendi; an vero idea spatii, quam in suo cerebello cudit Cartesius, Deo adimet potestatem creandi plures mundos? Sit vero contradictorium, quid inde? Inter mundos non esset interjectum spatium Cartesianum, sed merum nihil, i. e. ultra terminos mundorum nihil plane esset corporei; an spatium potest esse, ubi Deus illud non creat? Utique, si spatium sit verum corpus, creandum est; nisi illud forte

*Quæ variis rationibus diluitur.*

annumeret Cartesius sponte ortis. Possetne Deus creare corpus aliquod, illudque ita collocare ne ad hunc nostrum mundum se extenderet? an id vacuum, cuius nullæ sunt affectiones, impediret? Hæc adeo plana sunt, ut vel puer capiat, & unusquisque, qui, ob splendorem grandis istius mysterii, quod in spatio Cartesiano latet, oculi non cæcutiunt, clarissime videt. Sed (inquit Vir Cl.) si contigui sint, erit unicus mundus. Mira profecto consequentia! duæ ædes contiguous sunt una domus, nonne? Si quis juxta alterius ædes aliam domum exstruat, an cum ea, juxta quam ædificatur, in unam domum necessario coalescat? Unaquæque domus, respectu cubilium, intra parietes contentorum, aliquod universum est, siquidem illa usui & commodo inhabitantis inserviant; illa vero domus, quæ juxta ædificatur, iterum respectu suorum locorum, alterius usui destinatorum, aliud erit universum. Ita quoque hæc corpora, quæ Deus conjunxit & ad certum usum operationemque disposuit, omnium eorum compages respectu partium, ad illam pertinentium, vocatur universum: si vero Deo placeret alia corpora præter hæc, quæ jam condi-

dita sunt, creare, illa unire, certo quoque usui destinare, iterum illud totum respectu suarum partium nuncuparetur universum. Neque etiam, si aliquod corpus interjectum esset, id ad alterutrum pertineret, cum posset esse corpus aliquod inconditum, istic eo tantum fine positum, ut istos mundos discriminaret. Fateor tamen id per istam creationem, quam finxit Cartesius, fieri non posse. Gratulor vero mihi, & præsertim Deo immortales ago gratias, quod hic non respiciam foedissimum Philosophastri alijcujus commentum, sed sapientiam & potentiam Dei mei multiformem. Mirari vero subit, quod Vir Cl., qui mecum mundum finitum statuit, hanc opinionem tueatur: utique mundus finitus possibili mundo non adversatur; nihil extra hunc mundum ei repugnat; infinita Dei potentia illud flagitat; solus perversus spati conceptus suadet contrarium, quem ni corrigat, videat ne tandem ad admittendam hanc impiam Cartesii sententiam, hunc mundum esse infinitum, invitus trahatur.

Dixeram aliud adhuc esse, quod in *Philosophia Cartesiana infimum non obtinet locum, quod non, nisi e principiis*

*xi.  
De i-  
deis in-  
natis*

*Sententia Spinozif. cum in-*  
*fert.*

Spinozæ recte intelligi potest, videlicet ejus de ideis innatis sententia; in qua ex ipso Cartesio nihil certi percipi, neque ulla veritatis demonstratio exinde deprehendi potest; sed e Spinoza commodus sensus & vis demonstrativa facile eruitur. Nempe vult Cartesius, ideas innatas non ab objectis externis, non a voluntatis determinatione, sed a sola cogitandi facultate procedere. Mens igitur in istas ideas, sive potius in earum ortum nihil habet juris, sed sunt, ut quidam dicunt, ipsius Dei opus; quod non aliter intelligi potest, quam quod unica illa substantia, cui mens inest, naturali operatione mentem ita disponat, ut necessario ejusmodi subeat cogitandi modos; qui, cum ab ipsius Dei operatione immediate procedant, etiam summæ & necessariæ veritatis esse debent. Quoniam vero hoc non attigit Vir Cl. pro concessso supponam.

*xii.*  
*Ut &*  
*Cartesi- ana*  
*mentis*  
*cum cor- po-*  
*re n.* Talis unio mentis cum corpore, quæ non in vera ejus cum corpore coexistencia, sed in mutua relatione consistit, optimo quoque e Spinozæ principiis explicatur. Vult Cartesius esse nexus inter mentem & corpus a Deo constitutum, quo ad certas mentis cogitationes sequantur varii in corpore motus, & vicissim:

non

non vult tamen, mentem per se afficere corpus, vel corpus mentem; ast omnia, secundum ipsum, propter illum nexus ita in mente & corpore oriuntur, nufpiam tamen docet qua in re hic nexus consistat, & cur naturaliter ea simul in mente & corpore oriri debeant: Spinoza vero hujus naturalem redditrationem, nimirum quia mens & corpus ejusdem substantiae, per eos æqualiter operantis, modi sunt. Sic in Part. 2. Propof. 7. Ordo, & connexio idealium idem est, ut ordo & connexio rerum. Et in Scholio; *Hic antequam ulterius pergamus revocandum nobis in memoriam est id, quod supra ostendimus, nempe quod quicquid ab infinito intellectu percipi potest, tanquam substantie essentiam constitutens, id omne ad unicum tantum substantiam pertinet, & consequenter quod substantia cogitans, & substantia extensa una, eademque est substantia, quæ jam sub hoc, jam sub illo attributo comprehenditur. Sic etiam modus extensionis, & idea illius modi una eademque res est; sed duobus modis expressa.* Et clarius in Scholio Prop. 2. Part. III. Unde fit, ut ordo, sive rerum concatenatio una sit, sive natura sub hoc, sive sub illo attributo concipiatur, consequenter ut ordo actionum & passionum corporis nostri simul sit

natura cum ordine actionum, & passionum mentis. Hic possumus videre, cur motus in corpore & cogitationes in mente, licet unum alterum non producat, semper concordent. Vidimus itaque cuncta hæc dogmata Cartesiana in solo Spinozismo fundari, atque ex ea omnem suam veritatem, si quid veritatis haberent, atque virtutem mutuare. Sed & hoc sicco pede præterit Vir Cl., quapropter plura exempla non adducam; sufficient hæc specimina ad demonstrandum multa Cartesii Philosophemata omne suum perfectum stabilimen a Spinoza arcessere debere.

### Caput IX.

### S U M M A R I U M.

*Cartesius, utpote mendax & fallax, contrarium quibusdam in locis statuere visus nullam meretur fidem. I. Ejus quedam fallaciae specimina adducuntur; & primum de motus definitione, quantitate eadern, & transitu. II. Secundum, de differentia inter infinitum & indefinitum. III.*

Ter-

Tertium, de mundi origine, fallacter supposita. IV. Quartum, a commendatione reverentiae, S. Litteris debitæ, cui ejus docendi modus plane adversatur. V. Quintum, ab apero mendacio. VI.

**R**estat nunc hic proponendum, quod in meo Tractatu Vernaculo praemiteram; nimirum, Cartesium fæpe subdole, fraudulenter, & ambigua oratione fuisse loquutum, ut tanto melius sua falsa atque impia dogmata commendaret, quanto minus eorum verus & genuinus sensus ab omnibus percipi posset. Is enim impostorum mos est sub veritatis specie omnia ad fallendum componere, atque ita speciosis verbis suos errores in- crustare, ut ab incautis avidius appetantur. Non igitur immerito & sine gravissima causa in sua Epistola de eo queritur Cl. Gussetius pag. 26. Sic, o amice sincere, deprebendimus in Novatoribus id quod nos de nemine pro nostra simplicitate, suspiciati fuissimus. His versipellibus color quasi duplex & fucatus est. His est stylus duplex, alter naturalis, alter politicus: quorum priore, quo sententiam suam exprimant, eos interdum uti oportet, infrequentius tamet.

*Cartesius utpote mendax & fallax, in locis statuere visus nullam meretur fidem.*

men utendum censem. Stylus eorum politicus est quo locutiones sententiae antiquioris affectis usitatas vulgoque familiares usurpant. Qui stylus cum sit eorum menti contrarius, ideo etiam ex eorum ore prodit detortus, inanis, iudificans. Et eadem de causa est pejor stylo Scholastico in eorum usu. Esto enim Scholasticorum stylus, barbarus formis vocabulorum male cisis & inconditis, interim is ad sensa loquentis plene manifestanda compositus est. Cum contra hic stylus Recentior situs fit in applicandis novo sensui verbis ab eo alienis, aliquo & contrario usu jam receptis. Quod Barbarici titulo dignius est. Sæpius tamen illo coacto & politico stylo utuntur quo minus apparet nova intrudere, & sub larva facilius admittantur, per speciem tenendi vetera, & nihil nisi ea donandi perfectionibus nonnullis. Hac arte simplicibus placent incautis, doctis vigilibus tricas parant, apud Proceres minus heic exercitatos servant sibi locum dicendi Logomachias esse quæ in ipsis moventur, eo fine & scopo ut silentium Procerum autoritate impositum aliis, & in publicæ tranquillitatis gratiam imperatum, det sibi tempus & audaciam ad sua cepta propinquenda. Utinam hic Vir id, ob quod adeo in quosdam Cartesianos invehitur, quos immerito, cum recte ejus mentem fe-

sequantur, pseudonyms ejus discipulos vocat, in ipso Cartesio advertisset! Il- lud ipsum Doctiss. Poiretus olim, dum adhuc esset Cartesii mancipium, de genuinis Cartesianis pronunciavit, quod u- si sint vocibus deceptricibus, non significanti- bus verum. Neque mirum, cum sæpius eorum præceptor Cartesius iis ita præi- verit. Hujus pessimi criminis accusave- ram Cartesium, & Vir Cl., qui ejus pa- trocinium in se suscepit, hic prorsus si- let; quam maxime tamen sua refert ab hac labe suum purgare Cartesium, qui cæteroquin, et si in multis locis sane & orthodoxe loqui videtur, nullam mere- tur fidem, & quidem juxta regulam ab ipso positam, quod prudentiæ sit iis non credere, qui vel semel fefellerunt.

Ejus fallaciæ quædam proferam speci- III.  
mina. Primo agam de motus definitione. Ejus quædam Secundo de ejusdem ejus quantitatis in fallaciæ natura perseverantia. Tertio de ejus trans- specimi- situ, sive communicatione. Motum de na addu- finivit Art. 25. Part. 2. quod sit translatio cuntur; & pri- unius partis materiæ, sive unius corporis, ex mun de vicinia eorum corporum, quæ illud immedia- motus te contingunt, & tanquam quiescentia spe- definitio- stan- tur; in viciniam aliorum. Sed hæc de ne,quan- finitio prorsus ad decipiendum est com- titate ea- dem, & po- transitu.

posita, ne videretur terræ motum tribuere, (vestigia enim Galilæi ipsum terrebant) quod tamen ex ipsius mundi fabrica necessario sequitur, & jam ejus aſſeclæ, invita S. Scriptura, palam profertur: secundum hanc enim definitiōnem nullum corpus, niſi ſuperficie tenuis, movetur. Hunc in finem etiam excoſitavit motum reſpectivum, quo com-mento nixus aſſus fuit pronunciare, Ty- chonem, quam ſe, plus motus terræ tri- buiſſe. Illud vero de motu reſpectivo commentum, adeo eſt ridiculum & inane, ut jam dudum a maximis ejus fauto-ribus fit explosum. Quod ad eandem motus quantitatē a Deo in natura per concurſum conservatam, non, uti præ ſi fert, corporum affectio eſt, ſed de vi materiam impellente intelligendum, ut totidem verbiſin Epift. 72. Part. 1. affirmat: *qui nimo puto motum, quatenus eſt talis modus, aſſidue mutari..... Cum autem dixi tantundem motus in materia ſemper manere, hoc intellexi de vi ejus partes impellente.* Quibus au- tem fidiculis haec ſententia, ex iis, quæ ubique in Principiis de eadem motus quantitate in materia permanentे blate- rat, quiret elici? Quod ad motus tranſitum de uno corpoře in aliud, quem in suis

suis Principiis, ut eadem motus maneat quantitas, afferere videtur, & reaſpe aſſerit; quando ita ſcribit Art. 40. Part. 2. *Contra vero, cum occurruunt corpori molli, quia facile in illud omnem motum ſuum transmittunt, ideo ſtatim ad quietem reduci.* Quo- modo autem haec cohærent cum iis, quæ ſcripſit eadem Epift. 72. Se, quod motus ſit in quibusdam corporibus varius, *id intellexiſſe de vi ejus partes impellente, quæ vis nunc ad unas partes materiæ, nunc ad alias, juxta leges motus, ſe applicet.* Et ſic tandem cuncta illa grandia, quæ e motus & corporum natura deducere videtur, eo recidunt quod eſtentia Divina, quæ ipſi eſt vis movens, juxta quādām leges ſe circa materiam exerere debeat. Ecce hic hominiſ profani, aliud dicentis, aliud ſentientis, imposturam maximam!

Eodem modo fallax illud excogitavit indefinitum, ceu medium aliquod inter finitum & infinitum, quæ tamen contradictoria ſunt, & nullum medium admittere poſſunt. Nempe jam mundum mente conceperat infinitum; attamen id rotunde proſteri verebatur; fallacia igi- tur quadam, ſub qua mentem ſuam oc- cultare poterat, maximè opus erat: con- fugit igitur ad ridiculum indefinitum, quod

III.  
Secun-  
dum, de  
differen-  
tia inter  
infi-  
nitum &  
indefini-  
tum.

quod ita definit *Art. 26. Part. I.* *Id in quo, sub aliqua consideratione, nullum finem possumus invenire.* Fallaciter hic proponit notionem indefiniti, mundo applicandam, in qua negative nulos terminos sequi possumus. Postquam tamen ipsum urferat Morus, ostenderatque, ex natura ipsius rei nobis innotescere positive, utrum sit finita, an infinita; ita rescribit *Epist. 69. Part. I.* *Repugnat conceptui meo, sive, quod idem est, puto implicare contradictionem, ut mundus sit finitus.* Idem ille, qui dolose præ se tulerat, sibi negative nullam esse rationem, ob quam mundum finitum statueret, jam fatetur, sibi esse positivam rationem, ob quam mundum infinitum declareret. Sic non metuit impius ille deceptor attributum Dei essentiale, mundo, tanquam ad ejus essentiam pertinens, tribuere.

*iv. Tertiū, de mundi origine, fallaciter supposita.* Non minor fallacia conspicua est in hypothesi de hujus mundi origine, quam se adoptasse simulavit impostor, ut ex ea melius naturæ phænomena intelligi & percipi quirent; quam tamen talem existimat, ut, si ea ob evidentiam & sequela necessitatē non admittatur, Deo injuria fieri videatur *Art. 43. Part. III.* Et quo loco eas habeant ejus asseclæ, satis offendunt,

dunt, quando iis ad veritatem eruendam perpetuo utuntur, quin ipsi S. Scripturæ non parcunt, sed ei potius sensum erroneæ vulgi opinioni consentaneum tribuunt, ubi aperte Cartesii consequentiis, ex iis eductis, contradicit. An hoc est aliquid habere pro mera hypothesi? quæ hæc est fraus? quæ hæc fallacia?

Pius & authoritatem S. Literarum magnopere commendare videri voluit, *Quar-*  
*cum ita scribit. Art. 76. Part. I. Præter tum, a*  
*cætera autem, memorie nostræ pro summa comen-*  
*regula est infigendum, ea que nobis a Deo datione reveren-*  
*revelata sunt, ut omnium certissima esse cre- tie. S. Li-*  
*denda; Et quamvis forte lumen rationis, teris de-*  
*quam maxime clarum & evidens, aliud quid bīte, enī*  
*nobis suggerere videretur, soli tamen auctori- ejus do-*  
*tati Divinæ potius, quam proprio nostro ju- cendi*  
*dicio, fidem esse adhibendam.* Turpe est plane  
*doctori cum culpa redarguit ipsum. Qui adver-*  
*itaque ausus fuit ejusmodi mundi fingere satur.*  
*ortum, qui creationis modo a Deo insti-*  
*tuto, plane est contrarius, & ita Mosi,*  
*illum narranti, quasi in barbam obloqui?*  
*An hac de re fides Divina ipsum nihil do-*  
*cuerat? Cur contra S. Scripturæ testi-*  
*monium terræ motum tribuit? Quare*  
*docuit, hominem sibi posse cavere ab*  
*omni errore? Egregia profecto, qua*  
Q fus-

suspexit divinam revelationem, reverentia. Quis non videt, bona verba dedisse hunc impostorem ut pius haberetur, & sub pietatis infusa melius deciperet.

vi.  
Quintum, ab  
aperto  
menda-  
cio.

Id duntaxat cæteris addam, (ubi enim ejus falsitatum finem reperirem) ipsum in *Resp. ad Object. Quartas* splendide fuisse mentitum. Multis rationibus in *Resp. ad Object. Quintas* demonstraverat, nulla esse accidentia realia, & nullum, ne quidem per quantumvis extraordinariam Dei potentiam posse esse sine subiecto. In *Resp. vero ad Object. Quartas* ita scribit: *Quam objectionem perfacile possem eludere, dicendo me habentem nunquam accidentia realia negasse.. . . At denique ex eo quod dixerim modos absque aliqua substantia cui insint non posse intelligi, non debet inferri me negasse illos absque ipsa per divinam potentiam ponи non posse, quia plane affirmo, & credo Deum multa posse efficere, que intelligere non possumus.* Oportet mendacem esse memorrem. Præterea tam futilia & inania in re Pontificiis adeo sacra maximique momenti, ponendo terminum aliquem, qui medius sit inter singulas panis particulas, effutivit, ut palam constet, ipsum fatigisse homines suæ religionis (modo ei, præter Philosophicam quædam fuerit)

tan-

tantum circumducere. Demonstravi itaque hisce speciminiibus, quod pluribus possem, Cartesium multa ad decipiendum compoñuisse; modo ita, modo aliter, prout ei visum fuit e re sua fore, fuisse locutum; idem hic affirmasse, alibi negasse; & quamvis quibusdam in locis bene, pie, & orthodoxe fuerit loquutus, id egit, partim ut pessimam opinionem incrustaret, partim ut haberetur vir bonus & Christianus; qui mos hodiernis Spinozistis adeo proprius est, ut, nisi Vir Reverendus atque Doctissimus D. Tuinman iis larvam detraxisset, a multis, ne dicam plerisque pro bonis & piis Reformatis etiamnum haberentur: & vidi in scriptis Viri Reverendi fideli confessionem alicujus ob hanc impietatem a Venerando Synedrio Medioburgensi juste excommunicati, quam quis, horum mysteriorum ignarus, juraret esse orthodoxam, si tantum secundum verborum sonum judicaret, & si quid forsitan alicubi durius occurrat, in meliorem sumeret atque interpretaretur partem. Cum itaque ex ipsis Cartesii principiis, primariisque dogmatibus ejus cum Spinoza consensum demonstraverim, clarissimum est ex quibusdam hominis versipellis opinionibus,

O 2

vel

vel verbis molioribus, sparsim ab ipso traditis, nihil certi de ejus orthodoxia concludi posse.

## Caput X.

## SUMMARIUM.

*Ratio diffensus inter Cartesium & Spinozam, ab ipsius Spinozae testimo-  
nio petita, non est satis valida;  
quod luculenter demonstratur. I.  
Diffensus in particularibus nihil fa-  
cit ad rem. II. In primariis, a  
Cl. Antagonista allegatis, nulla est  
differentia, ut patet e substantiae de-  
finitione, quæ, quoad sensum, Car-  
tesio & Spinozae omnino eadem  
est. III. Ut & attributi. IV. Nec  
non modi. V. Neque, quoad rem,  
in conceptu infiniti differunt. VI. Nec  
etiam in notione libertatis. VII. An  
in notione causæ efficientis differant,  
nondum Cl. Antagonista probavit.  
VIII. Perversæ definitiones Spino-  
zæ hic non magis spectant, quam  
Cartesii. IX. Non solum Spinoza,  
sed & Cartesius multa, Deo indig-  
na,*

*na, scripsit. X. Et naturam cum  
Deo confudit. XI. Toties Cartesius  
sibi obloquitur, quoties dicit, Deum  
aliter operari potuisse. XII. Verum  
diffensum distinctio cogitationis in cre-  
atam & increatam non common-  
strat. XIII. Neque inter cogitatio-  
nem & extensionem distinctio. XIV.  
Huc quoque non referenda unio men-  
tis cum corpore, quæ potius contra-  
rium suadet. XV. Reliqua, in sce-  
nam producta, non pertinent ad sta-  
tum quæstionis. XVI. Neque hoc  
pertinet Cartesii a Spinoza in Phy-  
sica diffensus; quoniam fundamen-  
tum eorum lubricum est, fallax, at-  
que ineptum. XVII. De pietate mi-  
nime commendandus Cartesius. XVIII.  
Operis Epilogus. XIX.*

**H**actenus invictis argumentis proba-  
vi, Cartesium Spinozae præluxisse; *Ratio  
diffensus* jam tempus erit examinandi rationes ad *inter  
Cartesium & Spino-*  
defendendam, & quidem in superlativo *gradu*, ejus orthodoxiam a Viro Cl. alla-  
tas; quas si dixerim stipula leviores, non  
est quod ideo Vir Cl. mihi succenseat. Ete-  
O 3 nim

zan, ab <sup>ipius</sup> nim primam desuithit rationem ab ipsius Spinozæ testimonio, quo suum a Cartesio confitetur dissensum: quem in finem ejus ad Oldenburgium & Bleyenberg allegat Epistolas. Sed facilis est ad hanc rationem responsio: quid enim frequentius est, quam ut ii, qui iisdem utantur principiis, etiam in multis, a se invicem dissentiant; quia unus hoc, alter aliud, ex iis elicit consequarium; & vix ulla est secta plane concors, quin ejusdem præceptoris discipuli acerri me inter se digladiantur: utinam ipsi Reformati hoc non nimium darent comprobatum, quorum quidam in alios supra modum non solum debacchantur, sed & internecino odio se mutuo prosequuntur. Quid igitur mirum si Spinoza Cartesium in quibusdam erroris accuset, cum opinatus fuerit, quod secundum sua principia aliter philosophari debuerit. Constat tamen quoque, si fides habenda sit auctori præfationis operi posthumo Spinozæ præfixæ, Spinozam Cartesium plurimi fecisse, ipsiusque Philosophiam omnium aliorum Philosophiæ prætulisse; quin ipse Philosophiam Cartesianam alios docuit, eamque methodo synthetica demonstravit. Néque tanta est Cartesium inter & Spinozam discordia, quæ, notan-

tante ipso Viro Cl., tantum circa tria versatur capita, & forsan commode ad unum reduci quiret, nempe quod Cartesius in Deo & mentibus videatur agnoscere aliquam libertatem, quam tamen, ut supra a me demonstratum est, magis verbis, quam re ipsa, agnovit. Insuper habetur Spinoza, & merito, vaferimus Viro Cl. impostor; quænam igitur ejus testimonio fides haberi potest? Sic egit, uti ingratii discipuli solent, qui, per quos profecerint, fateri nolunt: bene memini, celeberrimo alicui Theologo a quibusdam vitio verti, quod sua a Cl. Coccejo mutuatus fit, & tamen ubique eum carpat, ne videretur sua a Cl. Coccejo habere. Ita quoque Spinoza, satagens novam condere Philosophiam, quamvis Cartesii sensum bene percepit, verba tamen captavit, quibus uti Cartesius coactus fuit ad verum animi sensum occultandum, ut e Cartesii ruinis profus novum videretur construere aedificium, novusque audiret Philosophus.

Secundum argumentum deponit Vir Cl. e dissensi inter Cartesium & Spinozam in quibusdam singularibus, sed toto cœlo aberrat: nusquam enim scripsi inter Cartesium & Spinozam in omnibus

II.  
 Differ-  
 sus in  
 particu-  
 laribus  
 nihil fa-  
 con-

*cit ad  
rem.*

concordiam intercedere; sed tantum Cartesium Spinozæ materiam suppeditasse, ex qua commode suam Philosophiam confidere queat, & illud, etiamnum dico, & probavi. Hujus autem inter Cartesium & Spinozam dissensionis, quoad externam speciem, ratio in promptu est. Cartesius ex honorata familia erat oriundus, & famæ perstudiosus; noluit igitur ea aperte docere, quibus Atheismum inducere videretur. Cui accedit, quod patria Gallus esset, & nesciverit an non forte sibi esset in patriam redeundum, in qua, ejusmodi impia sine gravissima censura non latum iri, probe sciebat. Præterea non vixit Cartesius mollia fandi tempora; ubique Philosophia Scholastica primas tenebat; quare ita eam amicire debuit, ne cultus horrore statim unquamque deterret. Longe vero aliter cum Spinoza fuit comparatum; vilis homo erat, nihil aliud intendens, quam per novitates inclarescere: invenit etiam Cartesianos præparatos ad illas impias opiniones facilius recipiendas; ut etiam experientia comprobatum dedit, quod soli Cartesiani se istoc veneno ingurgitaverint. Neque prorsus diffiteri volo, ut facile est inventis aliquid addere, Spino-

nozam quædam singularia e Cartesii principiis eliciuisse, quæ forte ipse Cartesius non prævidit, vel etiamnum profuis non agnosceret; quod tamen minime impediat utriusque eadem esse principia, quod unicum est, quod demonstrare studui.

Descendamus vero ad singula, ut V<sup>III.</sup> rum Cl. sequar, & videamus utrum tanta In pri- inter illa sit oppositio, quantam præ se maris, a fert Vir Cl. Initium facit a substantiæ tagonista Cl. An- definitione, quam dico Spinozam, quoad allegatiæ, verba & externum sonum, etsi sensus nulla est plane idem est, Cartesii definitione me differen- liorem & saniorcm exhibuisse. Definit patet e Spinoza substantiam rem, quæ in se sit, substan- & per se concipiatur, hoc est, cuius concep- tia defi- tus non indigeat conceptu alterius rei, a quo que, formari debeat. Hæc definitio Philosophi- ce optima est, & nisi impostor ille sen- sum, contra genuinam verborum signi- Cartesio ficationem, ad sensum Cartesii detorsif. & Spi- set, & intellexisset rem, nulla alia re ad nozæ omnino existendum indigentem, quæ Cartesii defi- eadem nitio est, utroque pollice approbarem. est. Inter harum igitur substantiæ definitio- nis sensum nulla plane est oppositio, sed omnimoda convenientia.

Attributum Spinozæ est, quod intelle- IV. etus de substantia percipit, tanquam ejus es- Ut & s' attributi- O 5 sen-

*sentiam constituens.* Definitionem attributi, quam Cartesius exhibuit, dissimulat Vir Cl. & lectorem ad Art. 56. Part. i. allegat, in quo Cartesius attributa, qualitates, & modos confundit, eaque duntaxat pro vario considerandi modo differre scribit. Attamen idem prorsus de attributo cum Spinoza sentit Cartesius, nempe quod tale sit, quod substantiae essentiam constituit. Quod ut ostendam, unum tantum locum e Cartesio proferam, qui extat in *Notis ad Programma*: *Cavendumque est, ne per attributum nihil hic aliud intelligamus quam modum: nam quicquid alicui rei a natura tributum esse cognoscimus, sive sit modus, qui possit mutari, sive ipsam et ipsius rei plane immutabilis essentia, id vocamus ejus attributum. Sic multa in Deo sunt attributa, non autem modi. Sic unum ex attributis cuiuslibet substantiae est, quod per se subsistat. Sic extensio alicujus corporis, modos quidem varios in se potest admittere, nam alius est ejus modus si corpus istud sit sphæricum, alius si sit quadratum: verum ipsa extensio, quae est modorum illorum subiectum, in se spectata, non est substantiae corporeæ modus, sed attributum, quod (N.B.) ejus essentiam naturamque constituit.* Quæ igitur hic inter Cartesium & Spi-

Spinozam oppositio? Sane concors est utriusque in idem placitum consensus.

Per modum Cartesius & Spinoza omnino idem, nempe substantiae affectiōnem, intelligunt: male igitur hujus respectu Vir Cl. unum alteri opponit.

Quod ad notionem finiti & infiniti attingit, Spinozam in ea, quoad rem ipsam, a Cartesio dissentire, videre nequeo: nam Spinoza istam rem in suo genere finitam appellat, quæ alia ejusdem naturæ terminari potest, i.e. quæ non complectitur omnem realitatem ad totum illud genus pertinenter; eo respectu corpora singulare sunt finita, quia eorum realitas se non quaquaverum extendit, ast per alia corpora singulare, quibus etiam est realitatis extensæ pars, terminantur: sed extensio in genere est in suo genere, non tamen absolute, infinita, quia quidem quicquid realitatis extensæ est, in se continet, non vero prorsus omnem omnino realitatem, quam solus Deus complectitur. Sed estne haec ipsissima Cartesii sententia? Quorsum igitur hoc spectat? ut numerus oppositorum augeatur?

Definitionis, qua & Cartesius & Spinoza libertatem delineant, sensus plane idem

*Nec non modi.*

*Neque, quoad rem, in concepcionis infiniti differunt.*

*Nec enim.*

*tiam in notione libertatis.* idem est: quid enim differt *a sola sua natura ad agendum determinari*, & *ad id, quod ab intellectu proponitur ita ferri*, ut *a nulla vi externa nos ad id determinari sentiamus*; cum ubique sit spontaneitas, ut vocant, nullibi activa determinandi potestas. Alia sunt verba; sensus vero prorsus idem.

*viii. An in notione causae efficientis differentia, nondum Cl. Antagonista probavit.* Cartesium veram & genuinam causæ efficientis habuisse notionem, Vir Cl. dicit, ast non probat: expectabo igitur demonstrationem, & tandiū hac re supersetdebo. Interea gravissimæ mihi sunt rationes suspicandi de Cartesio, quod genuinam notionem causæ efficientis non habuerit. Perpendantur ea, quæ de causa efficiente disseruit *Resp. ad Object. Prim.* ubi diserte afferit, *non esse impossibile ut aliquid sit causa efficiens sui ipsius.* Et iterum: *omnem causam efficientem non esse effectu suo tempore priorem, neque ab eo diversam.* Nobis licere cogitare, *Deum idem facere respectu sui, quod causa efficiens facit respectu sui effectus.* Profecto hæc notio potius causæ emanativæ, immerito sic dicitæ, quam veræ causæ efficienti applicari potest, & a conceptu, quem Spinoza de causa efficiente formavit, non differt.

Spi-

Spinozæ perversæ definitiones & fraudes non sunt hujus loci, nec ego istis patrocinor: an tales quoque in Cartesio inventiantur? ante quæsumum fuit.

Uterque vocat Deum ens infinitum & summe perfectum. Multa Deo indigna & nefanda scripsit, quæ si callide decipiant, pere voluisset ille nebulo, potuisset omnime spectant, & sub aliis verbis mollieribus mittere, & sub aliis verbis mollieribus mentem suam abscondere: sed ipsum impietatis non puduit, fuitque publicus nequitiae professor. Quid Cartesius de divinis perfectionibus senserit, licet bona derivet verba, attendenti satis manifestum est: qui Deum considerat tanquam causam sui; se ipsum sua potentia conservantem; in operando, quin creando, legibus naturæ astrictum necessario; materiam sua essentia æquabiliter necessario moventem, & similia; næ! ille fovet cogitationes Deo dignas, & ipsum quam accuratissime a mundo distinguit, passimque opθοδοξοτάτος scripsit.

Cartesium Deum & mundum semper accuratissime distinxisse, falso falsius est. Unum duntaxat in contrarium adducam specimen ex *Med. vi.* in qua non obiter, sed ex professo de hac re loquitur: Sic ibi. *Et sane non dubium est quin ea omnia*

*ix. Perverse definitiones Spinozæ*

*buc non Cartesii.*

*x. Non solum Spinnoza, sed et Cartesius Deo indigna scripsit.*

*xr. Et naturam cum Deo confundit.*

*omnia quæ doceor a natura aliquid habeant  
veritatis: per naturam enim generaliter spe-  
ctatam, nihil nunc aliud quam vel Deum  
ipsum, vel rerum creatarum coordinationem  
a Deo institutam intelligo.* Natura igitur,  
quatenus generaliter, tanquam opium  
existentium origo spectatur, ipsi Deus  
est; sed quoque res, quæ ab illa natura,  
generaliter spectata, prodierunt & coor-  
dinatae sunt, vocantur natura. Hæc est,  
ipsissima Spinozæ sententia, & funda-  
mentum, qua nititur ejus naturæ distinc-  
tio in naturantem & naturatam. Ita lo-  
quitur in *Scholio Propos. xxix. Part. i.*  
*Ethic.* *Antequam ulterius pergam, hic, quid  
nobis per naturam naturantem, & naturam  
naturatam intelligendum sit, explicare volo,  
vel potius monere. Nam ex antecedentibus  
jam constare existimo, nempe, quod per Na-  
turam naturantem, nobis intelligendum est  
id, quod in se est, & per se concipiatur, sive  
talia substantiaz attributa, quæ aeternam &  
infinitam effentiam exprimunt, hoc est Deus,  
quatenus, ut causa libera, consideratur.  
Per Naturam autem intelligo id omne,  
quod ex necessitate Dei naturæ, sive unius-  
cujusque Dei attributorum sequitur, hoc  
est omnes attributorum modos, quatenus  
considerantur, ut res, quæ in Deo sunt, &  
quæ*

*quæ sine Deo nec esse, nec concipi possunt.*  
Talis fuit Gentilium de Deo sermo; ita  
Stoici, quod tamen Cl. Antagonista in  
Seneca alisque vehementer carpit, no-  
men Dei & naturæ promiscue usurparunt;  
sed facile Cartesio, naturam, generaliter  
spectatam, cum Spinoza Deum vo-  
canti, dabitur venia. Ego tamen tam  
facile hic eum non dimittam: quid enim  
aliquid generaliter spectatum, aliud est  
quam totum aliquod? Quapropter Logici  
genus vocant totum universale; totum vero  
nihil aliud est quam omnium partium, eo  
pertinentium, congeries. Qui igitur natu-  
ram, generaliter spectatam, Deum nuncu-  
pat, considerat Deum, cœu omnium exi-  
stentium complexum; tanquam unicam  
illam substantiam, e qua omnia oriantur,  
& singula partem ejus exprimant. Næ!  
qui hoc sensu naturam Deum vocat, is  
quam accuratissime mundum & naturam  
a Deo distinguit.

Cartesius statuit (inquit Vir Cl.) xii.  
Deum aliter operari potuisse, quod  
Spinoza negat. An ille dicit, Deum ali-  
ter quivisse operari, qui diserte affirmat, Toties  
*Cartesi-  
us sibi ab-  
logavit,*  
leges naturæ adeo Deo esse necessarias, ut, quoties  
si plures mundos creasset, easdem leges de- Deum  
dicuntur. *Deum*  
buiisset quam accuratissime observare? An il- le

*aliter potuisse operari.* le libertatem in Deo agnoscit, qui asserit, *Deum unum tantum potuisse producere mundum, & illum quidem infinitum?* Non vero plura addere necesse erit, siquidem Cartesium plane contrarium sentire abunde demonstravi. Non igitur hic quoad rei summam ulla inter Cartesium & Spinozam est pugna, sed optima concordia.

**xiii.** *Verum diffensum distinctione cogitationis in creatam & in-creatam non com-monstrat.* Distinguat Cartesius inter cognitionem increataam & creatam, id etiam sensu Spinozistico facile fieri poterit; nimirum per cognitionem increataam intelligendo ipsam substantiam, quatenus cognitionis fons est & origo; per creatam vero aliquam iustius substantiae cognitionis modificationem, quae iterum varios perpetuo modos subeat; & sic illa modificatione, quam substantiam, i.e. rem solo Dei concursu existentem, vocat, erit permanens subjectum omnium modorum adventitiorum, i.e. cognitionum singularium. An necesse est ut hic, quoad sensum, tanta inter Cartesium & Spinozam sit oppositio?

**xiv.** *Neque inter cognitio-nem &* Eodem quoque sensu maxima potest constitui distinctio inter cognitionem & extensionem, quatenus nihil extensi in cognitionis idea involvitur, & vice versa: quinimo omnis cognitione singulari-

*non*

non solum sine singulare extensione clare exten-  
& distincte concipi poterit, sed & esse. *Sionens distin-*  
Sed de cogitatione & extensione satis in *ctio.*  
principio hujus Tractatus egi. Hæc ni-  
hil contra me evincunt.

Quæcumque Cartesius scripsit de vera **xv.**  
& reali mentis cum corpore unione sunt *Huc*  
fallacia & fraudulenta, ex usu recepto *non re-*  
nihil significantia, sed alium prorsus fun-*ferenda*  
dentina sensum. Qui de hac materia Car-*quoque*  
tesii mentem scire avet, legat *Epistolam mentis*  
**29.** & **30.** *Part.* **1.** ubi, sed valde im-*cum cor-*  
plicite, ut certus sensus vix crui queat, *pore, quæ*  
de hac materia scripsit. Et quis nescit, *potius*  
contraplurima, quæ in hominibus contingunt, *rium*  
secundum Cartesium, fieri automatice, *sudet.*  
& reliquam unionem confiterè in solo  
quodam nexu a Deo, vel, ut Spinoza  
rotunde diceret, natura constituto. Qua-  
re hic Cartesius magis Spinozæ accedit,  
quam ab eo recedit. Sed & de hoc argu-  
mento in praecedentibus egi.

Quæ denuo adfert de voluntate & li-**xvi.**  
bertate, quoniam de iis satis superque a-*Reli-*  
ctum est, non iterum attingam. Mag-*qua in*  
nam quoque e Tractatu de Passionibus prodi-*scenam*  
animæ producit farraginem, ut in quam *cta, non*  
plurimis ostendat Vir Cl. Spinozæ a Car-*pertinent*  
tesio dissensum; in iis quæ examinavi-*ad sta-*  
mus

*queſtioneſ.* mus ostendi, quoad rem ipsam, eſſe nullum; quis ſit in reliquis non vacat inquirere, quia jam dudum me horum tædet, ſit in his singularibus vel maximum inter Cartesium & Spinozam diſcriben, id non evertit ea quæ ſtatuo, nempe in ter principalia eſſe omnimodam conve nientiam. Scio, & etiam faffus ſum, in multis aliter ſentire Spinozam quam Cartesium; ſed id quoque non ignoro, ſæpius aliis uſum uifſe Spinozam, quamvis ſenſus idem ſit, verbiſ, ut quam ma xime videatur a Cartefio recedere; & eo major; & ſic unus impoſtor exerget suas artes in alium. Immerito tamen Spinoza Cartesium ita carpit, cui totius ſuæ Philoſophiæ debet funda menta; qui i pſum docuit, *animam noſtram eſſe a ſuprema ejus (Dei) intelligentia emanationem quandam, & diuinæ quaſi particulam auræ.* Epift. 35. Part. i. Et unde habet Spinoza illud axioma Politicum, tantum alicui eſſe juris quantum habet virium, niſi a Cartefio docente Epift. 13. Part. i. Deum illis iuſtri buere, quibus vim confeſſit.

xvii. Neque quicquam

Quod ad Physicam attinet, mirum non eſt, Spinozam a Cartefio receſſiſſe, quoniam ea, quæ de hac materia tradi dit, tam abſona ſunt, & cum iſtis natu ræ

ræ legibus adeo parum concordantia, ut *buc facit Cartesii a Spinoza in Physis* ut v. c. hæc noſtra terra & planetæ, *differunt;* affi gnet rationem, ob quam plurima i quoniam fundatiuſ conditionis non fuerint exorta; &, *mentum* cum iſtas leges motus, faltem quādām *eorum ex illis, rationi & experientiæ refragari, lubri* experientia ipſa compertum ſit, uti a *cum eſt*, Viris doctiſſimis demonſtratum eſt, quid fallax, foret ſtolidius, quam juxta illas Philoſo atque in phari? Præterea, adeo impia eſt hæc hy pothesiſ, utpote omnem Dei ſapien tiam, bonitatem, providentiam ſeponens, mo do non abnegans, ut nullus, niſi Epicureus, illam admittere queat. Secundum Cartesium Deus tantum materiam aequa biliter movit per eſſentiam, inde prodi turi neſcius, (rejicit enim cum Spinoza cauſas finales, quandoquidem omnia a cauſa efficiente, i. e. neceſſitate quadam derivanda ſunt) & inde omnia, quæ jam exiſtunt, prodiere. Aliud de mundi fabrica teſtatur per Prophetam ipſe Deus, afferens, ſe ad certum numerum coeli producere exercitum, cuncta ejus ſingu laria nomine vocare, ob magnam ejus potentiam nullum deficere. Si igitur hic P 2 qui-

quidam cum Cartesio delirare malint; quam ipsi Deo credere, non sine summo dolore fero.

*xviii.* Omnes vero absurditatum numeros superat, quod Vir Cl. ipsum de pietate *mi-*  
*nime* commendare ausit. (quo homines non ab-  
*commen-* ripit affectus?) Doleo Cartesii vices, quod  
*dandus* talis habitus non fuerit a Papa Romano:  
*Carte-* nam eum procul dubio Sanctorum cata-  
*sius.* logo inseruisset; imo, quod plus est,  
eum ob merita sua Philosophica jam du-  
dum e purgatorio extraxisset. An homo,  
qui summus fuit calumniator, adulator,  
omnium dissentientium contemptor; qui  
gloriam suam pro Deo habuit; qui, per  
merita salutem acquiri, jactavit; qui re-  
ligionem, quam ore profitebatur, illu-  
sit; qui in ipsum Deum fuit injurius, de-  
pictate commendabitur? Non sunt falsa  
dicteria, mihi ab atra bile in Cartesium  
suggesta; singula si Vir Cl. exegerit,  
probabo. Laudet igitur ipsum Vir Cl.  
quantopere potest; allaboret ostendere  
Spinozam sua hausisse e Stoicismo; (un-  
de sua deprompsit Cartesius ostendit  
Ill. Huetius) dicat Philosophiam Car-  
tesianam solam solvendis difficultatibus  
Theologicis esse parem; (quam tamen  
immodicam jactantiam non fero; cedat

Vir

Vir Cl. vel unam e sola ratione solven-  
dam, quam si absque ope Philosophiae  
Cartesianaæ non solvero, summo pudore  
suffundar; provoco, cedat quæstionem,  
non jactet inaniter) celebret istum Phi-  
losophum summum, (acumen ingenii ei  
non denego, utinam eo recte fuisset u-  
sus!) maxime orthodoxum, &c.: mihi  
tamen summus est impostor & clandes-  
nus Atheus, qualem ipsum habebo, do-  
nec contrarium mihi fuerit probatum.

Sic Dei gratia hunc Tractatum absolu-  
vi, quem sine veritatis & famæ dispen-  
dio omittere non potui. Haud absque tæ-  
dio & dolore eum confeci, quia anima  
adverto, tanti quibusdam esse nomen hu-  
jus Philosophi, ut existiment, Ecclesiam  
res suas sine ejus Philosophiae cognitione  
salvas habere non posse. Sed quid Eccle-  
siæ cum Philosophis, a quibus, quoniam  
plerunque plures mali sunt quam boni,  
plus detrimenti quam emolumenti acce-  
pit? Salvator noster, postquam a terra  
discessit, dedit quidem ad opus ministerii  
ædificationemque sui corporis Apostolos,  
Prophetas, Pastores, Doctores, non  
Philosophos. Utinam Doctores e solo SS.  
Literarum limpido fonte, & non quoque  
ex impuris Philosophorum lacunis suas

P 3

*xix.*  
*Operis*  
*Epilogus.*

hau-

haurirent doctrinas, & sedentes ad pedes supremi Doctoris, ac per Spiritum ejus edocti ea tantum, quæ Spiritus Sanctus docet, alios docerent, intimeque essent persuasi, sapientiam hujus mundi meram esse apud Deum stultitiam! Utinam nos omnes, tanquam filii veræ Ecclesiæ, a Deo essemus edocti, & acceperissimus unctionem ab Illo Sancto, qua omnia ad Dei gloriam & nostram salutem necessaria, cognoscamus. Veni Sancte Spiritus largire tuis istam sapientiam, quæ superne coelitus descendit, qua sapientia cœlestia, imple eorum corda reverentia, fide, amore, charitate, spe, quibus verum Deum colant, ament, ei credant, confidant, promissorumque certo expectent complementa, & deprehendant tandem omnia in omnibus.

F I N I S.




### E M E N D A N D A.

*Pag. 100. lin. 19. pro re lege res. pag. 182.  
lin. 9. pro anihilare lege annihilare.*

*Animadvertis inter relegendum, subinde c possum pro e, f pro s, n pro u, & viciissim; quod non existimet lectorem maturatum. Si quid majoris momenti attentionem meam fugerit, id ut ipse aequus letitor corrigat, rogo.*





CODEFRIDI IAC. F. THOMASI

R. P. NOR. MEDICI.

I. B. Homann.